S.
Vitg
V.
Mart

S. 123

Nordkirchen

569

#33339

C224

# HISTORIA PASSIONIS
# B. CAECILIAE
# VIRGINIS,
# VALERIANI, TIBVRTII,
# ET MAXIMI MARTYRVM.
*NECNON*
## VRBANI, ET LVCII
PONTIFICVM, ET MART.
## *VITAE:*
ATQVE PASCHALIS PAPAE I. LITERAE
de eorumdem Sanctorum corporum inuentione,
& in Vrbem translatione.

*OMNIA EX ANTIQVISSIMIS NOBILIVM VRBIS Bibliothecarum manuscriptis exemplaribus ab ANTONIO BOSIO I. V. D. fideliter, accuratèque deprompta, notisque illustrata, & nunc primùm in lucem edita.*

ACCEDIT RELATIO EORVMDEM SANCTORVM
Corporum nouæ inuentionis, & repositionis sub CLEMENTE VIII.
P. M. Paulo Sfondrato S.R.E. tt. S. Cæciliæ Presb. Card.



*ROMAE, Apud Stephanum Paulinum, MDC.*
Superiorum permissu.

NOs Paulus tituli S. Cæciliæ S.R. E. Presbyter Cardinalis Sfondratus, has Sanctissimæ Virginis Cæciliæ, eiusque Sociorum vitas ex quamplurimis, ijsque vetustissimis codicibus integras ab Antonio Bosio exceptas fuisse, necnon quæ de inuentione Corporum eorumdem Sanctorum ab ipso referuntur, omnia fideliter, sincere, atque ad veritatem conscripta esse testamur.

*Paulus Card. Sfondratus.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

# PAVLO SFONDRATO

## S. R. E. TITVLI

# SANCTAE CAECILIAE

## PRESBYTERO CARDINALI

## AMPLISSIMO.

*ANTONIVS BOSIVS*

*S. P. D.*

*QVM multa felicia, atque optata, in omni vita (PAVLE CARDINALIS AMPLISSIME) diuino sis beneficio consecutus, quæ opinione Hominum magni æstimantur, tum nihil ad præclari animi tui sensum felicius tibi, aut optabilius accidisse vnquam existimo, quam BEATAE CAECILIAE VIRGINIS, Sociorumque Martyrum, quæ in antiquissima tui Tituli Ecclesia superiore anno contigit, inuentionem. Nam profectò sacrum hunc Thesaurum*

*tuo tempore ex abdito terræ ſinu in lucem, conſpectumque cæli reuocatum, regijs omnibus à te opibus, ampliſſimiſque dignitatibus anteferri non obſcuris indicijs declaraſti. Quis enim quanto ſacra illa Pignora videndi deſiderio ſemper ſtagraueris, quanto cum gaudio oculis oblata ſuſceperis, quanta religione ſis veneratus vlla ſatis oratione queat explicare? Et verò non modò diebus illis recentis lætitiæ cum Virginei Corporis arca ſplenderet in publico, totiusque Ciuitatis concurſu maximo celebraretur, nihil omiſiſti, quo incredibilis pietas, religioque tua declararetur; ſed poſteaquam Sacro adſtante Senatu Optimi Pontificis manibus eadem arca locupletius ornata priſtinæ Aræ complexui reddita eſt, non deſtitiſti alia, atque alia tuæ in Sanctam Virginem, Socioſque Martyres edere piæ deuotionis argumenta. Itaque præter illam, quam iam antea fueras aggreſſus totius Eccleſiæ ſenio penè confectæ inſtaurationem, quam ceù nouis quibusdam ſtimulis incitatus illicò approperaſti, ad finemque perduxiſti; ipſum venerabile Martyrium, in quo glorioſa Chriſti Pugilum corpora requieſcunt, tantis vndique ornamentis à te breui tempore eſt illuſtratum, vt vix aliud extet tota Vrbe Religionis monumentum viſendum magis. Atque illic quidem, quæ patent oculis, & nos ſumma cum voluptate reſpicimus, & Poſteritas ſera mirabitur, ſeu diſcolorem pretioſorum lapidum varietatem, ſeu floridæ picturæ elegantiam, ſeu auri flauentis nitorem, ſeu ſtatuas Pario marmore, vel ære Corinthio coruſcantes, ſeu candelabra affabrè exculpta, pendulasque ex argento lampades, ſeu magnificos paratus Altaris, pretioſamque, & abundantem ſacrorum omnium ſupellectilem. Verumtamen ſunt alia in te laude, & admiratione digniora, ad quæ cogitationem altius referre cogimur quicunque externa illa religionis, liberalitatisque tuæ dona intuemur: Te enim eſſe meminimus, qui* GREGORIO *Quartodecimo Sanctiſſimo Patruo tuo Petri Sedem tenente, cum maximam Chriſtianæ Reipublicæ partem tuis humeris*

*ſuſti-*

*ſuſtineres, nihil ſummæ poteſtatis, imperijque magnitudine elatus, cum ſingulari rerum gerendarum prudentia, admirabilem coniungeres humanitatem. Cuius quidem temporis ſtrepitu, curiſque, Deo altiora merentem Pontificem ad ſe breuì vocante, celerius quam nos optaremus perfunctus, ita te deinceps ad rerum diuinarum ſtudia contuliſti, vt ceù Marthæ remiſſo nuncio, cuius ſollicitudo placidæ mentis quietem perturbat, Mariæ diuino amore languenti adhæſiſſe, partemque optimam complexus eſſe videaris. Protinus enim quaſi oneroſa quadam ſarcina diuitiarum multitudine reiecta, eiſque in Pauperes liberali dextera erogatis, nobilem tibi omni genere, ſacrorum in primis monumentorum refertam Bibliothecam comparaſti, quam tu quidem non ſordere in puluere, aut cum blattis, & tineis rixari ſinis, ſed aſſiduè reuiſens, nocturnaque, & diurna manu excutiens, ad honeſtam oblectationem, ad vitæ inſtitutionem, ad perennem fructum ſalutis vſurpas. Animaduerti autem, & ſi omnem viro Principe, & Chriſtiano homine dignam doctrinam amplecteris, ſummo tamen te, ac præcipuo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudio teneri, credo quod ad benè, beatèque viuendum non tam verbis eruditis, quam illuſtribus exemplis animum moueri ſentias, tibique non maiori curæ ſit noſſe, quæ alij docuerint, quam, quæ fecerint, imitari. Quare cum ego quòque ad idem ſtudium rerum Eccleſiaſticarum, ſeu naturæ propenſione quadam, ſeu quod id maximè hac tempeſtate clariſſimorum Scriptorum laboribus excultum videam, non mediocriter ſim incitatus, cumque ex ea reuelatione, quæ in Tranſtyberina tua Eccleſia temporibus noſtris facta eſt Sanctorum Martyrum, quorum loculos, ſacroſque cineres priſtino ſepulchro patefacto oculis noſtris aſpeximus, occaſionem ſumpſerim, non contentus ijs, quæ impreſſa habentur, manuſcripta de eorum paſſione, aliaque ſub Paſchale Primo Pontifice inuentione, & vetuſtiora monumenta perquirendi: Ea perquiſita, atque in ipſa tui Tituli Eccleſia, ac tribus præterea nobiliſſimis Vrbis Bibliothe-*

thecis, Pontificia, Basilicæ S. Petri, & Columnensi reperta, diligentique collatione in vnum exemplar non meo tantum, sed aliorum doctiorum iudicio perpurgatum, redacta, notisque breuibus illustrata publicare instituí. Tibi autem vni, Sfondrate Amplissime, deberi meritò, tuique clarissimi nominis inscriptione ornanda, & patrocinio munienda existimaui. Quod eo lubentius adducor, vt faciam (& quidem aliter sine graui crimine facere non possem) quia hoc quidquid est mei operis, etsi sentio quam in eo mei exiguum sit, tu tamen cum ad aures peruenisset tuas, me accersito benignè inspicere, accuratèque euoluere non es dedignatus, cumque quoad antiqua ex nuda illa, minimèque fucata Maiorum in scribendo simplicitate, pluriumque rerum ad vulgatam, quæ de ijsdem Sanctis extat, historiam accessione non paruam voluptatem, & animi fructum percipi posse iudicares; quantùm verò ad hæc recentia, quæ nos vidimus, pertinet, pluribus humanissimè indicatis, quibus te non ad fuisse tantùm, sed præfuisse constat, huic scriptioni magnum adieceris pondus auctoritatis tuæ, meam in hoc genere industriam qualiscumque sit acuens, & inflammans, vt opus ederem es adhortatus. Quo sane nomine tantum me tibi debere profiteor, quantum & si omni officio, & obseruantia coner ostendere, conabor autem quoad viuam, numquam tamen mihi ipsi satisfaciam. Vtinam quidem in his saltem, quæ postremò describenda suscepi, præstanti, & singulari iudicio tuo satisfacere aliqua ex parte potuerim: subuereri enim cogor, ne effusam dexteræ tuæ liberalitatem, pietatemque in Sanctos Christi Martyres referre coactus, pudentissimas aures tuas nonnihil offenderim, vtpotè refugientes ea laudum audire præconia, quæ mihi salua veritate nullo modo fas fuit silentio præterire; Non enim latent illa sub modio, sed in conspicuo, atque vt Euangelicis verbis prosequar, super candelabrum posita elucent: quæ sanè vt aspectu Romanis iucundissima sunt, ita Exteris quòque cognitu optabilia fore speraui, quinimmo vtrisque vtilia, & salutaria;

quando

*quando id in te (abſit omnis aſſentationis ſuſpicio) perfectum cernitur, quod Dominus ait: Vt ſic luceat lux tua coram hominibus, vt videntes, quæ à te profecta ſunt, opera bona non poſſint non glorificare Patrem, qui in cælis eſt. Quod reliquum eſt, editionem hanc meæ in te ſtudioſæ voluntatis tenue pignus, annum iam inchoatam, & maxima ex parte perfectam, quæ cauſæ ad hunc vſque diem retardauerint, ipſe omnium optimè noſti. Certè ſi tamdiù differendam credidiſſem, nec decurſo ferè totius curriculi ſpatio propè ipſam metam hæſiſſet, quamquam nihil quouis tempore eximium de me audeam polliceri, poterat tamen, vel minus rudi ſtylo compoſita, vel plenioribus notis aucta prodire. Nunc hoc, quidquid ſit, à ſtudio ſanè veritatis, & integra mente profectum ſub Sanctæ Matris Eccleſiæ cenſuram ſubiectum eſſe volo. Tibi autem præcipuè, Sfondrate Ampliſſime, gratum, commendatumque eſſe cupio (ac, niſi me animus fallit, erit) vt qui inuictæ Martyris Cæciliæ, fortiumque Commilitonum, & Sociorum tumulo maximis ſumptibus ornamenta, quæ cunctæ Gentes mirentur, addidiſti; eorum laudum, victoriarumque monumenta, quæ non minus ex antiquis Bibliothecis in lucem prodeunt, quàm ſacri eorum cineres è veteri ſepulchro nuper extiterant, ijſdem Gentibus quaſi de manu in manum tradas, & ad eorum honorem, ac Dei Optimi Maximi gloriam legenda communices. Vale.*

# INDEX EORVM,
quæ præcipuè in hoc volumine continentur.


*HISTORIA Passionis S. Cæciliæ Virginis, Valeriani, Tiburtij, & Maximi ex antiquis manuscriptis exemplaribus deprompta.* fol. 1.

*Vita S. Vrbani Papæ, & Martyris, quæ in tribus antiquis egregijs manuscriptis exemplaribus Bibliothecæ Vaticanæ habetur.* 27

*Passio alia eiusdem S. Vrbani ex duobus antiquis lectionarijs Basilicæ S. Petri deprompta.* 35

*Eiusdem S. Vrbani vita ex libro de Romanis Pontificibus, qui nomine Damasi circumfertur.* 40

*Vita S. Lucij Papæ, & Martyris ex eodem libro de Romanis Pontificibus.* 41

*Literæ Paschalis Papæ Primi de reuelatione, & inuentione corporis B. Cæciliæ Virg. & Mart. ac Sociorum eius, & eorundem intra Vrbem translatione* 42

*Notæ ad Historiam passionis SS. Cæciliæ Virg. Valeriani, Tiburtij, & Maximi Martyrum* 49

*Notæ ad passionem S. Vrbani Papæ, & Sociorum Mart.* 109

*Notæ ad S. Lucij Papæ, & Mart. vitam.* 129

*Notæ ad literas Paschalis Primi Papæ de reuelatione, & inuentione corporis S. Cæciliæ, & Sociorum, & eorundem in Vrbem translatione* 132

*Relatio vltimæ detectionis, & solemnis repositionis SS. corporum B. Cæciliæ Virg. Valeriani, Tiburtij, et Maximi, necnon Vrbani, et Lucij Pontificum sub Clemente viij. Pon. Max. anno Domini MDXCIX. Paulo Sfondrato tt. S. Cæciliæ Presbytero Cardinale.* 153


HISTO-

HISTORIA PASSIONIS

SS. MARTYRVM

# CÆCILIÆ VIRGINIS VALERIANI, TIBVRTII ET MAXIMI.

Ex antiquis manuſcriptis Exemplaribus integrè, & fideliter deprompta.

*In [1] Paſs. S. Cæciliæ Virginis cuius [2] natale celebratur decimo Chal. Decemb.*

## PROLOGVS.

HVMANAS laudes, & Mortalium infulas videmus, aut ære inciſo cõſcriptas, aut auro radiantibus litteris ad poſteritatis memoriam commendatas: & iſta attendentes miror, quare non erubeſcimus, Militum Chriſti victorias ſilentio tegere, & non ad laudem Imperatoris eorum, qualiter pugnauerunt contra hoſtes, & vicerunt, ſchedulis ſaltem vilibus tradere, & ad incitandos animos Bellatorũ diligentius explicare. Multa bona talium narrationum ſcripta conuectant, laus Dei eſt cum iſta leguntur, memoria Sanctorum Hiſt. Martyrum vtilitas.

rum excolitur,ædificatio mentibus traditur, honor Martyribus exhibetur; hinc Infidelibus nascitur mœror,Incredulis liuor, Indisciplinatis angustia; & Sanctis omnibus cum Christo gaudentibus, solus Diabolus ingemiscit, qui videt pugnam suam eousque armis cælestibus debellatam; vt ex ipsa pugna ille melius victor existeret, qui putatus est victus: Denique putabat se tunc Hostis Sanctos Dei occidendo vincere, illi autem melius occisi vincebant; interrogati illico confitebantur; damnati gratias referebant. Sic denique legimus antiquas Domini victorias celebratas, quando dixit Inimicus † persequẽs,comprehendam,partibor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea; sed extendit Deus dexteram suam, & deuorauit eos terra, & Populũ suum sanguinis sui pretio liberauit. Denique iacet nunc sub Sanctorum pedibus Inimicus, & dans mugitus per lunaticos, & † erguminos clamat,& 3 pęnas incędij,quas patitur indicat, atque se flammarum atrocitate aduri commemorat; approbat,quod omnes Sancti, quos pro Christi nomine persecutus est, regnant: In tantum denique non sunt mortui, vt mortuis vitam donent, tristibus gaudium exhibeant, languentibus præbeant medicinam, atque ipsum humani generis Inimicum ex obsessis corporibus proferentes in ipsum reuocant tormenta, quæ passi sunt; & illi quidem momentaneum perpessi laborem æternam Gloriam tenent; illum vero numquam finiendis ardentem incendijs vident perpetuæ ignominię mancipatum. Clamat se ardere Diabolus, vt tu intelligas, quia bene refrigerat Sanctus; clamat se saluatum infirmus, vt tu intelligas Sancto Saluatori coniunctos; sic enim ad Patrem dixisse legimus ipsum Dominum Saluatorem: Pater volo vt vbi ego sum, & isti sint mecum:Excitatur ergo per hæc animus ad medelam,quando suæ

Diabolus a Martyribus superatus, atq; deuictus.

*Exod.* 15. †vulg.edi. *persequar.*

† idest energumenos.

Sanctorũ etiam post mortẽ vis atque potestas.

*Ioann.* 17.

do ſuæ reſtaurationis attendit indicia; patulum enim ſui pectoris præbet auditum, dum ſuæ ſalutis probam in tã eos, qui vere ſunt ſaluati, eſſe cognoſcit. Hanc fidem tenuerunt Apoſtoli, quos è veſtigio Exercitus Martyrum proſecuti victorias ſuas ad Regem victorioſiſſimũ reportarunt: [4] Ipſe enim triumphalis Crucis ſuæ labaro vſque hodie antecedit omnium in ſe credentium mentes; Hunc ſequuti ſunt priores Apoſtoli; poſt Apoſtolos, Martyres; poſt Martyres, Confeſſores; poſt Confeſſores, Sacerdotes; poſt Sacerdotes, Virgines; poſt Virgines, Viduæ; poſt Viduas, Continentes: Omnibus patent Chriſti veſtigia; ideo denique omnibus clamat: * Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam.

Sanctorũ agmina, & acies ordinata.

*Matt.* 11. * In codice S. Cæc. *Venite benedicti Patris. &c. ex Matt.* 25.

## INCIPIT PASSIO.

VIVS vocem audiens Cæcilia virgo clariſſima, [5] abſconditum ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore, & nõ diebus, non noctibus à colloquijs diuinis, & oratione ceſſabat. Hæc Valerianũ quendam iuuenem habebat ſponſum, qui Iuuenis in amore Virginis perurgẽs animum diem conſtituit nuptiarum. Cæcilia vero [6] ſubtus ad carnem cilicio induta deſuper * auro textis veſtibus tegebatur: Parentum enim tanta vis, & Sponſi circa illam erat exæſtuans, vt non poſſet amorem ſui cordis oſtendere, & quod * Chriſtum diligeret indicijs euidẽtibus aperire. Quid multa? Venit dies, in quo thalamus collocatus eſt [7] & cantantibus organis, illa in corde ſuo ſoli Domino

S. Cæcilia Chriſti Euãgelium gerebat in pectore.

Valerian⁹ ſponſus S. Cæciliæ.

Ciliciũ S. Cæciliæ.

* *auratis.*

* *ſolũ Chriſtum.*

Ps. 118. Biduana, & triduana S. Cęc. ieiunia, cũ precib⁹, & SS. inuocatione coniuncta.

decantabat dicens: Fiat cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non cõfundar, & [8] biduanis, ac triduanis ieiunijs orans commendabat Domino quod timebat, inuitabat Angelos precibus, lachrymis interpellabat Apostolos, & Sancta Agmina omnia Christo famulantia exorabat, vt suis eam deprecationibus adiuuarent, suã Domino pudicitiam * commendantem.

* *cõmendantes.*

Sed cum hęc agerentur, venit nox, in qua suscepit vnà cum Sponso suo cubiculi secreta silentia, & ita eum alloquitur. O dulcissime, atque amantissime Iuuenis, est mysterium, quod tibi confitear, si modo tu iuratus asseras, tota te illud obseruantia custodire: Iurat Valerianus sponsus, se illud omnino nulla prodere ratione, nulla necessitate detegere. Tunc illa ait: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo corpus meum custodit; hic si vel leuiter senserit, quod tu me polluto amore cõtingas, statim circa te suum furorẽ † exagitat, & amittis florem tuæ gratissimæ iuuentutis; si autem cognouerit, quod me sincero corde, & immaculato amore diligas, & virginitatem meam integram, illibatamq. custodias, ita te quoque diligit, sicut me, & ostendit tibi gratiam suam.

† Tempus præsens p futuro iuxta antiquum loquẽdi morem sæpe hic inuenies vsitatum.

Tunc Valerianus nutu Dei timore correptus, ait: Si vis, vt credam sermonibus tuis, ostende mihi ipsum Angelum, & si approbauero, quod vere Angelus Dei sit, faciam quod hortaris; si autem Virum alterum diligis, & te, & illum gladio feriã. Tunc B. Cæcilia dicit ei; Si consilijs meis acquiescas, & permittas te purificari fonte perenni, & credas vnum Deum esse in cælis viuum, & verum, poteris eum videre. Dicit ei Valerianus: Et quis * erit, qui me purificet, vt ego Angelum videam? Respondit ei Cæcilia: Est Senior, qui nouit purificare Homines, vt mereantur videre Angelum Dei. Dicit ei Valerianus: Et ego vbi hunc Senem requiram? Cæcilia dixit:

S. Cęcilia Valerianũ sponsũ, vt baptizetur hortatur.

* *est.*

dixit: Vade [9] in tertiũ milliariũ ab Vrbe, [10] via, quæ Appia nuncupatur, illic inuenies Pauperes a transeuntibus alimoniæ petentes auxilium; de his enim mihi semper cura fuit, & optime huius mei secreti sunt conscij: hos tu dum videris, [11] dabis eis benedictionẽ meam, dicens: Cæcilia me misit ad vos, vt ostendatis mihi [12] Sanctum Senem Vrbanum; quoniam ad ipsum habeo eius secreta mandata, quæ perferam: hunc tu dum videris, indica ei omnia verba mea, & dum te purificauerit, induet te vestimentis nouis, & candidis, cum quibus mox vt ingressus fueris istud cubiculum, videbis Angelum Sanctum etiam tui amatorem effectum, & omnia, quę ab eo poposcris, impetrabis.

Via Appia

S. Cæciliç erga pauperes cura

Candida vestimẽta nouiter baptizatorum.

Tunc Valerianus perrexit, & secundum ea signa, quę acceperat, inuenit S. Vrbanum Episcopũ, qui iam [13] bis Confessor factus, [14] inter sepulcra Martyrũ latitabat; cui cum dixisset omnia verba Cæciliæ, gauisus est gaudio magno, & [15] ponens genua sua in terra, [16] expandit manus suas ad cælum, & cum lachrymis dixit: Domine Iesu Christe seminator casti consilij, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti: Domine Iesu Christe [17] Pastor bone, Cæcilia famula tua, quasi [18] ouis argumentosa tibi deseruit; nam Sponsum, quẽ quasi Leonẽ ferocem accepit, ad te, Domine, quasi agnum mansuetissimum destinauit; Iste huc, nisi crederet, non veniisset; Aperi ergo Domine cordis eius ianuam sermonibus tuis, vt te Creatorem suum esse cognoscens [19] renũtiet Diabolo, & pompis eius, & Idolis eius.

S. Vrb. PP. bis confessor effect' via Appia inter sepulcra Martyrum latitabat.

Orat Vrb. PP. genuflexus, & manibus expansis.

Hæc, & his similia orante Sancto Vrbano Episcopo, subito ante faciem ipsorum apparuit Senior indutus niueis vestibus, tenens titulum in manibus aureis literis scriptum, quem videns Valerianus, nimio terrore correptus cadens in terram factus est quasi mortuus: tunc Senior eleuauit eum dicens, lege huius libri textum, & cre-

Seniorem hunc, qui Valer. apparuit S. Paulũ Ap. fuisse, ex scriptura ipsa, q̃ in manib⁹ tenebat, Curiosus aliquis elicere posset.

crede, vt purificari merearis, & videre Angelum, cuius tibi aspectum Cæcilia Virgo deuotissima repromisit; Tunc Valerianus respiciens cœpit intra se legere; scriptura autem Tituli hæc erat. VNVS DOMINVS, VNA FIDES, VNVM BAPTISMA, VNVS DEVS, ET PATER OMNIVM, QVI SVPER OMNIA, ET IN OMNIBVS NOBIS EST. Cumque hoc infra se legisset, dicit ei Senior, [20] credis ita esse, an adhuc dubitas? tunc Valerianus voce magna clamauit dicens: Non est aliud, quod verius posset credi sub cælo; cumq; hæc dixisset Valerianus, ille Senior ab oculis eorum * elapsus est. Tunc Sanctus Vrbanus baptizauit eum, & edocens eum omnem Fidei regulam, remisit eum ad Cæciliam diligenter instructum.

*Ephes. 4.*

* *eleuatus.*

Valerian° baptizatur ab Vrbano Papa

Veniens igitur Valerianus [21] indutus candidis vestimentis Cæciliam intra cubiculum orantem inuenit, & stantem iuxta eam Angelum Domini pennis fulgentibus, alas habentem, & flammeo aspectu radiantem, duas coronas * habentem in manibus coruscantes rosis, & liijs albescentes; quique vnam dedit Cæciliæ, alteram Valeriano dicens: [22] Istas coronas immaculato corde, & mundo corpore custodite, quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli, & hoc vobis signum erit, numquam marcidum aspectus sui adhibent florem, numquã sui minuunt suauitatem odoris, nec ab alio videri poterunt, nisi ab eis, quibus ita castitas placuerit, sicut vobis probata est placuisse: Et quia tu, Valeriane, consensisti consilio castitatis, misit me Christus Filius Dei ad te, vt quam volueris, petitionem insinues. At ille audiens adorauit, & dixit: Nihil mihi in ista vita dulcius extitit, quam vnicus mei Fratris affectus, & impiũ mihi est, vt me liberato Germanum meum in periculo perditionis aspiciã; hoc solum omnibus petitionibus meis antepono, & deprecor, vt fratrem meum Tiburtium, sicut me, liberare dignetur,

* *ferẽtem*

Coronæ duæ ex rosis, & lilijs ab Angelo Cæciliæ & Valeriano donantur.

Iusta Valeriani petitio.

gnetur, & faciat nos ambos in ſui Nominis confeſſione perfectos. Audiés hæc Angelus lætiſſimo vultu *dixit* ad eum: Quoniam hoc petiſti, quod melius quam te Chriſtum implere delectat, ſicut te per famulam ſuam Cæciliam lucratus eſt Chriſtus; ita per te quoque tuum lucrabitur Fratrẽ, & cũ eodem ad martyrij palmã *peruenies. * *attinges.*

His itaque finitis ſermonibus aſpectus Angelici * luminis migrauit ad cælos, & illis epulantibus in Chriſto, atque in ædificatione ſancta ſermocinãtibus, Tiburtius Valeriani frater aduenit, & ingreſſus eſt quaſi ad Cognatam ſuã, oſculatus eſt caput S. Cæciliæ, & ait: Miror, hoc tempore roſeus hic odor, & liliorum vnde reſpiret; nam ſi tenerem ipſas roſas, aut ipſa lilia in manibus meis, nec ſic poterant odoramenta mihi tantæ ſuauitatis infundere; confiteor vobis ita ſum refectus, vt putem me totũ ſubito renouatũ. Dicit ei Valerianus: Odorẽ * quidem meruiſti me interpellante ſuſcipere, modo te credẽte promereberis etiã ipſo roſeo aſpectu gaudere, & intelligere, cuius in roſis ſanguis floreſcit, & in lilijs cuius corpus albeſcit; Coronas enim habemus, quas tui oculi videre nõ præualent, * floreo * rubore, & niueo candore vernantes. Dicit ei Tiburtius: In ſomnis hæc audio, aut in veritate iſta tu loqueris, Valeriane? Reſpõdit Valerianus: In ſomnis nunc vſque viximus; nam modo in veritate ſumus, & fallacia in nobis nulla eſt; Dij enim, quos coluimus ad omnem fidem, Dæmonia comprobantur. Dicit ei Tiburtius: Vnde hoc noſti? Reſpondit ei Valerianus: Angelus Dei docuit me, quem & tu videre poteris, ſi purificatus fueris ab omni ſorde Idolorum. Dicit ei Tiburtius: Et ſi poteſt fieri, vt videam Angelum Dei, quæ mora eſt purificationis? Reſpondit Valerianus: Nulla, tãtum hoc mihi tu ſponde, quod omnia Idola deneges, & credas vnum Deum eſſe in cælis. Tiburtius reſpondit: Non intelligo, qua intentione iſta proſequeris.

* *numinis. nominis.*

Tiburtius Valeriani frater.

* *iam.*

* *roſeo.* * *colore.*

Cæcilia

Idolorum vanitas.

Cæcilia dixit : Miror, vt non intelligas figuras fictiles, gypseas, ligneas, æreas, atque lapideas, vel cuiusque metalli Deos esse non posse,[23] quas Araneæ texunt & Aues stercorant, in quorũ capitibus solent sibi Ciconiæ nidos instruere,[24] quos Damnaticij faciunt; [25] nam ad omne metallum pro criminibus Damnati mittuntur; ergo a *Damnatis initium accipiẽtes quomodo possunt Dij, vel æstimari, vel credi? Inter mortuum *denique, & simulacrum nulla distantia est; sicut enim mortuus omnia membra habet, flatum tamen, nec vocem habere nõ potest, nec sensum; sic & ista vana Numina omnia quidẽ membra habent, sed omnia fatua, & caduca noscuntur, [26] & deteriora magis, quam Homines mortui comprobantur; quia Hominum membra, dum viuerent, & oculis viderunt, & auribus audierunt, ambulauerunt pedibus, ore loquuti sunt, manibus palpauerunt, & odorem naribus assumpserunt : Isti autem à morte cœperunt, & in morte perdurant, quia nũquam nec vixisse, nec posse viuere cõprobantur: Tunc cum omni alacritate Tiburtius ait: Qui ita nõ credit, pecus est. Hæc dicente Tiburtio S. Cęcilia osculata est pectus eius, & dixit: Hodie meum te fateor vere esse cognatum; sicut enim mihi amor Domini Fratrem tuum coniugem fecit, ita te mihi cognatum contemptus faciet Idolorum : Vnde quia paratus es ad credẽdum, vade cum Fratre tuo, vt purificationem accipias, per quam merearis Angelicos vultus aspicere, & omnium tuarum veniam inuenire culparum.

Damnati ad metallum.

**damnaticijs.*

**quoque.*

Tunc dicit Fratri suo Tiburtius : Obsecro Frater, vt dicas mihi, ad quem me ducturus es. Respondit Valerianus : Ad magnum virum Vrbanum nomine, in quo est aspectus Angelicus, & veneranda canities, sermo verus & sapientia conditus. Dicit ei Tiburtius : Tu illum Vrbanum dicis, quem Papam suum Christiani nominant? hunc ego audiui iam secundo damnatum, & iterum

pro

pro ipsa re, qua damnatus est [27] latebram sui *præcauere fouendo; Iste si inuentus fuerit, sine dubio atrocibus dabitur flammis, & vt dici solet, centenas exoluet, & nos simul cremabimur, si ad illum fuerimus inuenti, & dum quærimus diuinitatem in cælis latentem, incurrimus furorem exurentem in terris. Dicit ei Cæcilia: Si ista vna esset vita, & non esset alia; iuste istam perdere timeremus; si autem est vita satis ista melior, & quæ numquam finiri potest, vt quid istam perdere timeamus, quando per eius perditionem, ad illius acquisitionem attingimus? Respondit Tiburtius: Adhuc hoc numquam audiui, ergo est alia vita preter istam? Dicit ei Cæcilia: Et hoc, quod in isto mundo viuitur, vita est? quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aeres morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci soluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coartat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, frangit infirmitas, mœror consumit; & his omnibus mors furibunda succedit, & ita vniuersis gaudijs carnalibus finem imponit, vt cum esse desierit, nec fuisse putetur; pro nihilo enim computatur iam omne, quod non est: illa autem vita, quæ isti vitæ succedit, *aut perpetuis tribulationibus dat Iniustos, aut æterna gaudia Iustis offert. Respondens ad hæc Tiburtius dixit: Et quis ibi fuit, & inde huc veniens vobis potuit indicare, vt merito possimus ista asserentibus credere? Tunc Beata Cæcilia erigens se stetit, & cum magna constantia dixit: Cæli, terræq; maris, & *omnium voluctum, repentium, pecudumque Creator [28] ex se ipso antequam ista omnia faceret, genuit Filium, & protulit ex virtute sua Spiritum sanctum; Filiū vt crearet omnia, Spiritum vt viuificaret vniuersa; omnia autem, quæ sunt, Filius ex Patre genitus condidit, vniuersa autem, quæ condita sunt [29] ex Patre procedens Spiritus sanctus animauit. Dicit ei Tiburtius: Certe

*prædicare

Centenas exoluere prouerbiū

*aut perpetuis tribulationibus datur Iniustis, aut æternis gaudijs Iustis offertur.

* hominū.

Vide Notas nostras infra.

Cęcilia instruit infidē Tiburtium.

vnum Deum esse in cælis credendum afferis, quomodo nunc tres esse testaris? Cęcilia dixit: Vnus est Deus in Maiestate sua, quẽ ita in Sancta Trinitate diuidimus, vt in vno Homine dicimus esse sapientiam, quam sapientiã dicimus habere ingenium, memoriam, & intellectũ; nam ingenio adinuenimus, quod non didicimus; memoria tenemus, quod docemur; intellectu aduertimus, quicquid vel videre nobis contigerit, vel audire; quid modo faciemus? numquid non ista tria vna sapientia in Homine possidet? si ergo Homo in vna *Nomen. sapientia trium possidet * numerum, quomodo non Deus omnipotens in vna Deitate suæ Trinitatis obtinet Maiestatem? Tunc Tiburtius prostratus in terra cœpit clamare dicens; Non mihi videtur humana lingua de hoc rationem reddere, sed puto, quod Angelus Dei per os tuum loquatur, & cum multas gratias ageret, quod breuiter vnum Deum esse in tribus Personis euidentius ostendisset, conuersus ad Fratrem suum dixit: De Deo vno satis mihi esse factum confiteor; nunc superest, vt ad inquisitionem meam, vt cœperat, sermo percurrat. Cæcilia dixit: De his mecum loquere, quia 30 tyrocinij tempus Fratrem tuum tibi prohibet dare responsum; me autem, quam ab ipsis cunabulis Christi sapientia docuit, ad quamcumque causam quęrere volueris, imparatam habere non poteris: Dicit ei Tiburtius, hoc inquisiui, quis inde huc veniens aliam vobis, quam prædicatis, vitam ostendit? Cæcilia dixit: Vnigenitum Filium suum de cælis Pater per Virginem misit ad Terras, qui stans super Montem sanctum clamauit voce magna dicens: Venite ad me omnes Populi, cucurritque ad eum omnis sexus, omnis ætas, omnisq; conditio; tunc omnibus dixit; Pœnitentiam agite pro ignorantia vestra, quia appropinquauit Regnum Dei, * quod auferat Regnum Hominum; Regnum autem suum Deus vult participare credẽtibus, in quo eo fit excelsior quisque,

Cæcilia ab incunabulis Christi fide, & sapientia instructa.

*Matth. 4.*

* *Vt auferatur.*

quo

quo fuerit ſanctior; ibi peccatores æternis cruciatibus, & ſempiternis incendijs conſumuntur; Iuſti vero perpetuæ Gloriæ ſplendorem accipiunt, & gaudijs, quæ nullo fine poterunt concludi, ſuccedunt: Nolite itaque o Filij Hominum iſtius vitæ gaudia fugitiua quærere, vt illius Vitæ gaudia æterna teneatis, quæ iſti vitæ *ſuccedunt; in iſta enim vita paruo tempore viuitur, in illa autem *viuitur in æternum. Audientes hæc increduli Populi, omnes vna voce dixerunt, & quis ibi fuit, qui inde veniens poterit docere vera eſſe, quæ aſſeris? tunc Filius Dei dixit eis, ſi oſtendam vobis mortuos, qui ſurrexerunt non ignorantes, quod mortui fuerint, non credetis veritati? clamauitque omnibus dicens, ſi verbis non creditis vel virtutibus credite; denique ne vel occaſionis veſtigium dubietati remaneret, cum populis 31 ad ſepulcra pergebat, & triduanis, & quatriduanis, atque fœtentibus mortuis vitam, quam amiſerant reuocabat; tranſmeabat maria, ſuper vndas* ambulabat pedibus ſiccis, imperabat ventis, tempeſtates arcebat, atque ſæuientes procellas, ac turbines compeſcebat, reſtituebat cæcis viſum, mancis reddebat dextras, claudicantibus greſſum, mutis vocem dabat, & ſurdis auditum, paralyticos verbo* ſaluabat, leproſos mundabat, Infirmos curabat, lunaticos reſtaurabat, & Dæmones effugabat: ſed quia hunc Impij* zelati ſunt, eo quod ipſos Populi relinquentes eius veſtigia ſequerentur, ſternentes veſtimenta ſua ante pedes eius, & clamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini; * inflati aduerſus eum Phariſæi cuidam Pilato eum Præſidi tradiderunt, magum eum eſſe, & ſceleratiſſimum aſſerentes, atque tumultuoſa ſeditione egerunt, vt eum crucifigerent, quod ille præuidens Mundo proficere ad ſalutem, permiſit ſe teneri, & illudi, & verberari pariter, & occidi; ſciuit enim non niſi per paſſionem ſuam Diabolo

Præmium Iuſtorum; & Impiorũ pœna.

** Succedit.*

** Viuetur.*

Chriſti mi racula.

** Ambulãs*

** Sanabat.*

** Iudæi zelati.*

*Matt. 21.*

** Inflammati.*

captiuitatem inferri, & immundis Spiritibus ardua irrogari supplicia: Ideo denique ille tentus est, qui peccatum nō fecit, vt dimitteretur Genus humanum, quod tenebatur vinctum in nodo peccati; Benedictus maledicitur, vt nos a maledictionibus tolleret; Illudi se passus est, vt nos ab illusione Dæmonum, quæ in hoc Mundo versatur, auferret; spineam in capite coronam accepit, vt sententiam capitalem, quæ ex * pœnis peccatorum nobis debebatur, eriperet; Fel in escam suscepit, vt dulcem gustum primi Hominis, vnde mors Mundum inuaserat, commutaret; aceto potatus est, vt acredinem, quam sanguis noster efferuerat, in se susciperet, & ipse biberet passionis calicem, qui nostris passionibus debebatur; expoliatus est, vt nuditatem Parentum nostrorum, quam serpentis consilio factam doluerat, niueo vestimentorum tegmine operiret: in ligno suspensus est, vt ligni præuaricationem ligno suæ tolleret passionis; mortem quoque ad se venire permisit, vt eam aduersus se colluctantem prosterneret, & quæ per serpentem regnum inuenerat, cum ipso serpente prostrata fieret captiua per Christum. Denique cum vniuersa elementa Creatorem suum in Cruce eleuatum aspicerent, horrore nimio tremuerunt; nam ex vno latere terra mouebatur, ex alio templa findebantur, & saxa; fugit dies, Sol exPauit, & fuscatus est, & lugubrem totum præbuit Mundum, Luna pallidos sui luminis vultus sanguinea nube contexit, Stellæ sidereo radiantes aspectu omnes pariter migrauerunt: * dat mugitum terra, & quasi parturiens cœpit multos Sanctos * parere de sepulcris, qui darent testimonium hoc, quod descensus Saluatoris ad Inferos Diabolo regnum eripuit, & moriendo mortem tenuit, edomuit, & ligauit, & suorum subdidit pedibus Famulorum: Inde est quod pro nomine eius * verberati gaudemus, & in persecutionibus gloriamur, quia vitæ nostræ isti caducæ, & miseræ, æterna vita succedit, illa quam

** spinis.*

Signaque apparuerūt in Passione Christi.

** dedit.*

** reddere.*

** verberari.*

la, quam Dei Filius surgens a mortuis, suis Apostolis demonstrauit, quibus videntibus ascendit in cælos: Hoc si trium testimoniorum doceret assertio, sapientiũ mentes dubitare non poterant; at vero cum non solum duodecim Discipulis, sed plusquam quingentis simul se demonstrare dignatus est, ambiguitatis nulla penitus vestigia dereliquit. Hi autẽ, qui hæc in vniuersum mundum prædicare missi sunt, signis, & virtutibus magnis sua dicta firmabant; nam & omnes ægritudines in eius nomine curauerunt, effugauerunt Dæmonia, & vitam Mortuis reddiderunt. Nihil puto tibi remansisse, quod quæras; nisi vt istam vitam animo, & corde despicias, & illam * vehementer, & fortiter quæras; Qui enim Filium Dei crediderit, & præceptis eius adhęserit, dum deposuerit corpus, a morte non tangitur; sed a Sanctis Angelis in gremio suscipitur; & ad Paradisi perducitur regionem. Inde est quod ipsa mors cum Diabolo agit, vt diuersis * occupationibus Hominum obliget mentes, & varijs incautos necessitatibus occupet, & nunc de damno timidat, nunc de lucro incitat; nunc de pulchro illicit, nunc de gula * excitat, & diuerso genere suasionis de ista sola vita facit homines miseros cogitare, vt eos exeuntes de corpore inueniat nudos, nihil secum prẽter peccata portantes. Hæc tibi breuiter explicaui, si quid tibi deesse consideras, quære. Tunc Tiburtius pedibus eius prostratus cum ingenti fletu, & lachrymis dixit: Si de ista vita vlterius, vel mente tractauero, vel cogitatione quæsiero, in illa vita non inueniar; habeant stulti lucrum labentis temporis, ego qui vsque hodie sine causa vixi, iam non sit sine causa, quod viuo. Et his dictis conuersus ad Fratrem suum dixit: Miserere mei, Frater charissime, & rumpe moras, quarum nexus * patior, dilationes timeo, pondus ferre non possum: obsecro te, perduc me ad Hominem Dei, vt me * purificans illius vitæ participem faciat.

Apostolorum miracula.

* *vehemẽtius, & fortius.*

* *obligationibus.*

* *exagitat.*

Tiburtius ad Christi fidem conuertitur.

* *non patior.*

* *vt me purificet, & illius.*

Tunc

Tunc Valerianus perduxit Fratrem suum ad Papam Vrbanum, cui cum narrasset vniuersa, quæ fuerant dicta, vel facta, gratias referens Deo suscepit Tiburtium cum omni gaudio, & baptizans eum secum esse præcepit [32] quoadvsque Albas deponeret, quem perfectum doctrina sua per septem dies [33] Christo militem consecrauit: Tantam deinceps gratiam consequutus est Domini, vt & Angelos Domini videret quotidie, & omniũ quæ popoſciſſet a Domino, protinus eueniret effectus. Verum quia multum est, vt omnia per ordinem prosequentes, quæ & quanta per eos Dominus mirabilia fecerit, conscribamus, ad glorioſas passiones eorum articulum reuocemus.

Tiburtius ab Vrbano Papa baptizatur.

* Turcius [34] Almachius [35] Vrbis Præfectus Sãctos Domini fortiter laniabat, & [36] inhumata iubebat eorum corpora derelinqui. Tiburtius vero, & Valerianus ad hoc vacabant quotidie, [37] vt precioſas Martyrum facerent sepulturas, & eleemoſynis, & * pietatibus insistentes. Interea, vt solitum, bonos odiunt mali, & indicant vniuersa Almachio, quæ per eos Dominus circa egentes ageret, vel quam studioſe, quos ille occidi iusserat, sepelirent, tenti ab Apparitoribus Almachio præsentantur, quos Almachius his protinus aggressus est verbis: Cum vos nobilitatis titulus clariſſimos fecerit nasci, cur per neſcio quam superstitioſam sectam infelices vos, & degeneres exhibetis? Nam facultates vestras vos audio in neſcio quas viles Perſonas expendendo consumere, ac pro sceleribus suis punitos cum omni gloria tradere sepulturæ; vnde datur intelligi, quod conſcij vestri sint, quibus pro * coniuratione honestam traditis sepulturam: Respondens Tiburtius dixit, vtinam dignentur nos, vt seruos suos computare, quorum tu nos æstimas esse collegas, qui contempserunt, quod videtur quid esse, & quod non est, & inuenerũt illud, quod non videtur esse, & est, quorũ nos saltem † gerimus imitari

* *Turgius Turbidus.*

Turcius Almachi⁹ Vrbis Præfect⁹ Christianos cruciat.

* *Precatibus.*

Valerian⁹ & Tiburtius nobiles & clariſſimi.

* *Consummatione.*

† *Fortaſſe geſtimus.*

tari ſanctiſſimam vitam, eorumq; ſequi veſtigia. Almachius Præfectus dixit, dic mihi quis veſtrum eſt ſenior? Tiburtius Sanctus dixit: Nec hic maior, nec ego minor, quia vnus eſt Deus Sanctus æternus, qui nos ſua gratia coęquauit. Almachius Præfectus dixit: Dicite mihi, quid eſt, quod videtur eſſe, & nō eſt? Tiburtius Sanctus dixit: Omnia quæ in iſto Mundo ſunt, quæ inuitant * animas ad mortem perpetuam, per quā finitur lætitia temporalis: Almachius Præfectus dixit: Et hoc mihi edicito, quid eſt, quod non videtur eſſe, & eſt? Sanctus Tiburtius dixit: Vita, quæ futura eſt Iuſtis, & pœna, quæ debetur iniuſtis; ex vtroque latere verum nouimus eſſe, quod veniat, & infelici diſſimulatione oculis cordis noſtri ſubducimus videre futura; oculis enim corporis videmus temporalia, vt contra cōſcientiam noſtram, quæ bona ſunt, malis ſermonibus obumbremus, & quæ mala ſunt, bonis ſermonibus adornemus: Almachius Præfectus dixit: Puto, quia non mente tua loqueris: Sanctus Tiburtius dixit: Verum dicis, quia non mente mea loquor, quam in ſæculo habebam, ſed eius, quem in viſceribus meæ mentis accepi, hoc eſt, Dominum Ieſum Chriſtum: Almachius Præfectus dixit: Numquid tu ipſe ſcis, quæ loqueris? Sanctus Tiburtius reſpondit: Numquid tu ſcis, quæ interrogas? Almachius Præfectus dixit: Vides quia elationem mentis pateris: Tiburtius Sanctus reſpondit: Ego & noui, & didici, & credo vniuerſa, quæ a me dicta ſunt *, permanebunt. Almachius Præfectus dixit: Et ego quare non intelligo, nec aduerto, quo ordine iſta proſequaris? Sanctus Tiburtius reſpondit: Quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſpiritalis autem iudicat omnia, ipſe autem a nemine iudicatur. Tunc ridens Præfectus iuſſit amoueri Tiburtium, & applicari Valerianum, cui Præfectus dixit: Valeriane, quoniam non eſt ſani capitis Frater tuus, ſaltem credo, quod

* *Homines*

* *Ita vt dicta sūt permanebunt.*

1. *Cor.* 2.

Præfectus alloquitur Valerianum.

quod tu mihi poteris dare sapienter responsum. Valerianus dixit: Vnus est Medicus, qui Fratris mei caput, & meum sua sapientia fouet, qui est Christus Filius Dei viui. Præfectus dixit, sapienter mihi responde: Valerianus dixit: Auditus tuus errorem patitur, quia viam sermonis nostri non poteris* inuenire: Præfectus dixit: Nullus sic errat, sicut vos erratis, qui relictis rebus ne-
*intueri.
cessarijs, & *vtilitatibus inepta sectamini, respuentes gaudia, atque execrantes lætitiam, & contemnentes omne, quod vitæ blandimento concessum est; illud to-
*vtilibus.
ta mentis *suauitate suscipitis, quod saluti contrariũ inueniri potest, & gaudijs inimicum. Sanctus Valeria-
*auiditate.
nus ad hæc respondit: Iocantes, & ridentes, &*varijs
*vanis.
delicijs affluentes vidi glaciali tempore trãsire per campos, in quibus campis stabant Rustici pastinantes, & cum omni studio sarmenta pangentes, atque spinosa furcula rosarum animose, & cautissime componentes; Alij quoque *taleas inserebant, alij *radicibus noxia quęque truncabant, cunctaque ruris opera, labore ni-
Valeriani comparatio, & similitudo futuræ vitæ.
*paleas.
*radicitus.
mio excolentes: Tunc illi qui deliciabantur,* cœperunt laborantibus irridere, ac dicere, infelices, & miseri, istum superfluum laborem abijcite, & nobiscum gaudentes, delicijs vos, & voluptatibus exhibete; quare sicut insani duro labore deficitis? & vitæ vestræ tempora tristissimis occupationibus fatigatis? & hæc dicentes sol-
*& epulabantur cœperunt.
uebantur super eos risu, & dabant plausus* manuum
*manu.
multis increpationibus insultantes. Hæc illis* agentibus imbriferis, atque algidis mensibus serena tempora
*d. cẽtibus
successerunt; & ecce floribus roseis vernantes campi nemoreis pampinis ornabantur, & crispas botriorum fertas suo partu sarmenta, & vario genere taleæ arborũ melliflua poma gignebant, in quibus videmus vsque hodie abundare gratiam, & fructum pariter, & decorem: Tunc gaudentibus illis, qui putabantur vani, cœpe-
*sapiẽtes.
runt flere qui videbantur* vibani, & qui in sua fuerant

sapientia

sapientia gloriati, in nimia pestilentia * peruenerunt, & sera pœnitudine mugitum sui otij, gemitumq; reddentes sibi inuicem loquebantur: Isti sunt quos habebamus in risu, labores eorum putabamus opprobrium, vitam eorum execrabamur vt miseram, personas eorũ iudicabamus indignas, & conuentum eorum sine honore; isti autem inuenti sunt sapientes, & nos probamur miseri tunc fuisse, & insipientes, & vani, quando nec ipsi laborauimus, nec laborantibus auxilium pro labore præstitimus, quinimmo eos in delicijs positi irrisimus, & credidimus dementes, quos nunc aspicimus florentes, & fulgentes.

* *perierũt.*

*Sap. 5.*

Ad hæc Præfectus dixit: Sapiẽter quidem te video esse prosecutum, sed non ad interrogationem meam videris dedisse responsum. Valerianus dixit: Stultos nos, & insipientes esse dixisti, quod facultates nostras Egentibus damus, Aduenas suscipimus, Viduis opem ferimus, Orphanis subuenimus, inhumata corpora tegimus, & honestas Dei Martyribus tradimus sepulturas; Insipientes nos esse, & insaniissimos iudicas, quia non cum lætantibus lætamur, neque cum voluptuosis delicijs resoluimur, vt ignobilis vulgi oculis nos illustres, & nobiles ostentemus; veniet tempus, in quo fructum huius nostræ tristitiæ colligamus, & nobis gaudentibus lugeant ij, qui in suis gaudijs nunc extolluntur; tempus enim seminandi modo est, qui in ista vita modo seminauerint gaudia, in illa vita luctum, & gemitum metent; 38 qui autem nunc seminant lachrymas temporales, in illa vita gaudia sunt sempiterna messuri.

Præfectus dixit: Ergo & nos, & 39 Inuictissimi Principes æternum habebimus luctum, vos vero perpetuum possidebitis gaudium? Sanctus Valerianus dixit: Quid enim vos estis? aut quid Principes vestri? homunciones estis, tempore vestro nati, tempore vestro expleto morituri; tantam Deo reddituri rationem, quantũ sum-

mę vobis tradidit potestatis. Almachius Prefectus dixit: Quid verborum circuitu immoramur? offerte Dijs libamina, & abscedite illęsi: Respondérunt ambo Sanctus Valerianus, & Tiburtius: nos non Dijs, sed Deo quotidie sacrificium exhibemus. Almachius Præfectus dixit: Quis est Deus, cui vestrum vos dicitis tradere famulatum? Respondérunt ambo, & quis est Deus alius, vt de *eo Deo nos interroges? est alius præter vnum? Almachius dixit: Ipsum vnum, quem *dicitis, nomen eius edicite. Valerianus Sanctus dixit: Nomen Dei non inuenies, etiamsi pennis volare possis. Almachius dixit: Ergo Iouis Dei nomen non est? Valerianus dixit: Erras, Præfecte, Iouis nomen non est hominis corruptoris, atque stupratoris? homicidam illum vestri Auctores commemorant, & criminosum illum literæ vestræ demonstrant; hunc tu Deum dicis? miror qua fronte loquutus sis, cum Deus dici non possit, nisi vnus, qui est ab omni peccato alienus, & omnibus virtutibus plenus. Almachius dixit: Ergo omnis Mundus errat, & tu cum Fratre tuo verum Deum nostis? Sanctus Valerianus dixit: Innumerabilis multitudo Christianitatis est, quæ sanctitatem suscepit, sed magis vos pauci estis, qui sicut astulæ de naufragio remansistis ad nihil aliud, nisi vt *igni tradamini.

*dicis nomen ipsius edicito.

*in ignem miramini.

Valeriani fustibus cæditur.

Tunc Almachius iratus 40 iussit eum fustibus cædi; Ille autem statim, vt exutus est, cœpit gaudere dicens: Ecce hora, quam *sitienter optaui; ecce dies omni mihi festiuitate iocundior; Cumque cæderent eum 41, vox præconia super eum clamabat dicens: DEOS, DEASQVE BLASPHEMARE NOLI: Ille autem clamabat Populo Romano dicens: Ciues Romani, videte ne vos a veritate ista mea tormenta reuocent, sed state viriliter credentes in Sancto Domino, & Deos, quos colit Almachius lapideos, & ligneos in calcem conuertite, hoc scientes, quia in æterna tribulatione erunt omnes, qui colunt eos.

*semper.

Vox Præconia.

Valeriani verba ad populũ dũ cęderetur

Tunc

Tunc [42] Assessor Præfecti Tarquinius * clam dixit Præfecto, inueniſti occaſionem, tolle eos, nam ſi moram feceris, & de die in diem protraxeris, omnes facultates ſuas pauperibus erogabunt, & punitis eis tu nihil inuenies; Tunc iuſſit Carnificibus, vt ab eis ducerentur ad agrum [43] Pagum, vbi erat ſtatua Iouis, & iuſſit, vt ſi noluiſſent ſacrificare, ambo Fratres pariter ſententiam capitalem exciperent. Tunc glorioſi Martyres excepta ſententia a Maximo [44] Corniculario Præfecti ducebantur ad Pagum, qui Maximus cœpit flere ſuper eos dicẽs: O Iuuentutis flos purpureus, o germanus fraternitatis affectus, quem vos impia definitione volentes amittere, ad interitum veſtrum quaſi ad epulas feſtinatis. Tunc Sanctus Tiburtius dixit: Nos niſi pro certo didiciſſemus alteram vitam eſſe perpetuam, quæ iſti vitæ præſenti ſuccedit, numquam nos iſtam amittere gauderemus. Dicit ei Maximus: Et quæ poteſt eſſe altera vita? Reſpondit Sanctus Tiburtius: Sicut veſtitur veſtimentis corpus, ita veſtitur anima corpore, & ſicut ſpoliatur veſtimentis corpus, ita ſpoliatur anima corpore; corpus quidem, quod terrenum ſemen per libidinem dedit, terreno ventri reddetur, vt in puluerem redactum, ſicut Phœnix futuri luminis aſpectu reſurget; anima vero ad Paradiſi delicias, ſi ſancta ſit, perferetur, vt in delicijs affluens tempus ſuæ * reſurrectionis expectet.

* *Laccæ.* Tarquinius aſſeſſor Præfecti.

Maximus Cornicularius Præfecti.

* *reſtaurationis.*

Dicit ei Maximus, optarem, & ego contemnere vitam iſtam, ſi * poſteram certam apud me haberem, quam loqueris. Dicit ei Beatus Valerianus: Quia nihil tibi ſupereſſe dicis, niſi vt probes vera eſſe, quæ diximus, in hora, qua nos faciet Dominus iſtam corporis tunicam in glorioſa nominis ſui confeſſione [45] deponere, aperiet Dominus oculos tuos, vt faciat te videre, cum quanta gloria illa vita * ſuſcipimur; ſi tamen promittas nobis, quod ex animo ad pœnitentiam erroris tui venias: Tunc Maximus deuotabat ſe dicens, fulmineis ignibus

* *poſt eam.*

* *ſuſcipitur.*

consumar, si ex hac hora non illum solum Deum confi-
*facit. tear, qui alteram vitam *fecit isti vitæ succedere; hoc
tantum vos, quod promisistis, ostendite. Dicunt ei am-
bo Fratres, impetra à Carnificibus, vt ad domum tuam
*custodias nos ducant, & hodierni diei inducias explica, ita vt *cu
*illuc. stodiant nos in domo tua; & *illic ad te venire facie-
mus Purificatorem, qui te ista noctu, statim vt purifica-
uerit, faciet te videre hoc, quod promisimus; Quod cum
impetrasset Maximus duxit eos ad domũ suam, ad quo-
Maximus cum omni sua domo baptizatur. rum prædicationem & ipse Maximus cum omni sua do
mo, & ipsi Carnifices crediderunt; Tunc Sancta Cæci-
lia venit ad eos nocte cum Sacerdotibus; & vniuersi ba
ptizati sunt. Igitur cum aurora noctis finem daret, fa-
cto magno silentio Sancta Cæcilia dixit eis: Eia Mili-
*Rom* 13. tes Christi, abijcite opera tenebrarum & induimini ar-
2. *Tim.* 4. ma lucis, certamen bonum certastis, cursum consum-
mastis, fidem seruastis; ite ad coronam vitæ, quam da-
*Deus iu- bit vobis *iustus Iudex; non solum autem vobis, sed &
*stus.* omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Locus igitur, qui vocabatur Pagus, quarto milliario
ab Vrbe situs erat, in quo per Templi ianuam transitus
Valerian' & Tiburtius decol lantur. erat, vt omnis, qui ingrederetur, [46] si Ioui thura non
poneret, puniretur: Veniẽtibus ergo Sanctis offeruntur
thura, & recusant; recusantes ponunt genua, feriuntur
†in aliqui bus codicibus non gaudium sed martyrium lege batur; re positimus ait verbũ gaudiũ ex codice Vaticano. gladio, proijciunt corpus mortale, & †gaudium susci-
piunt sempiternum. Tunc Maximus *iuratus asserebat,
dicens: Vidi Angelos Dei fulgentes, sicut sol, in hora,
qua verberati sunt gladio, & egredientes animas eorum
de corporibus, quasi virgines de thalamo, quas in gre-
mio suo susci pientes Angeli, remigio alarum suarum
ferebant ad cælos; Ista cum lachrymis *enarranti Ma-
ximo plurimi crediderunt, & ab errore Idolorum con-
uersi suo se Creatori reddiderunt. Igitur dum hæc om-
nia peruenissent ad Almachium Præfectum, eo quod
Maximus Corniculariius cum suis omnibus factus fuis-

*iurando.
*enarrãte.

set

set Christianus, iussit eum tandiu [47] plumbatis * cædi, quandiu spiritum redderet; quem Sancta Cæcilia iuxta Valerianum, & Tiburtium sepelijt in nouo sarcophago, & iussit vt [48] in sarcophago eius sculperetur Phœnix ad indicium fidei eius, qui resurrectionem se inuenturum, Phœnicis exemplo, ex toto corde suscepit.

* *tundi*.

Maximus plumbatis cæsus spiritum reddit.

Phœnix resurrectionis symbolum.

Factum est autem post hæc, cœpit Almachius Præfectus [49] quærere facultates amborum; Pro qua re facta inquisitione, Sanctam Cæciliam quasi Valeriani coniugem præcepit arctari, quæ cum vniuersa, quæ remanserant ex eorum facultatibus, fideliter tradidisset Pauperibus, ipsa quoque, vt thura poneret, cœpit impelli, tũc dixit [50] Apparitoribus, qui eam hoc facere compellebant: Audite me Ciues, & Fratres, vos Ministri estis iudicis vestri, & videtur vobis, quod ab eius impietate alieni esse mereamini; mihi quidem glorioſum est, & valde optabile omnia, pro Christi * confessione perferre tormenta, quia cum hac vita numquam dignata sum habere amicitias; sed de vestra satis doleo iuuentute, quam sine sollicitudine gerentes, facitis quicquid vobis fuerit ab iniusto iudice imperatum; tunc illi dabant voces, & fletus, quod tam elegans Puella, & tam sapiens, & nobilis * libenter optaret occidi, & rogabant eam, dicentes, ne tale decus amitteret, ne tantam pulchritudinem versaret in mortem; Quibus flentibus atque animum eius reuocare cupientibus ita respondit Beata Cæcilia: Hoc non est iuuentutem perdere, sed mutare; hoc est, dare lutum, & accipere aurum; dare habitaculum vile, & paruum, & accipere palatium magnum, & amplissimum ex lapidibus pretiosis, & auro constructum; dare angulum breuem, & obscurum, accipere forum lucidum, margaritis cælestibus coruscans; dare rem perituram, & accipere rem, quæ finem nescit, & mortẽ ignorat; dare lapidem vilem, qui pedibus conculcatur, & accipere lapidem pretiosum, qui in diademate regio vi-

S Cæciliã inquit & arctari iubet Almachius.

S. Cæcilię verba ad Apparitores.

* *nomine*.

* *etiam*.

branti

branti resplendet aspectu: Hodie si vobis aliquis si offer ret solidos, ita vt parem summam nummorum à vobis gratanter ferret oblatam; numquid non & vos curreretis gaudentes ad tale mercatum? & omnes parentes, & notos, & affines, & propinquos, & caros, & amicos faceretis vobiscum currere propter lucra temporalia; quicunque autem vos * vellet lachrymis reuocare, eo quod omnes nummos vestros daretis intrepidi, vt acciperetis solidos, numquid non irrideretis eos, vt ignaros, & nescios? vos autem tota auiditate festinantes curreretis, exultantes, quod daretis ad commutationem auri pretiosi æramentum vile, & nullius summæ iacturam, & tamen pondus ad pondus vos accipere gratularemini: Deus autem noster Iesus Christus non dat pondus ad pondus, sed quod simplum acceperit, centuplum reddit insuper, & vitam æternam. Et his dictis ascendit super lapidem, qui erat iuxta pedes eius, & dixit omnibus: Creditis hæc, quæ dixi? At illi * dixerunt: Credimus Christum Filium Dei verum Deum esse, qui talem possidet Famulam. Dixit eis Beata Cæcilia; Ite ergo & dicite infelici Almachio, quod ego inducias petam, vt nõ vrgeat passionem meam, & * hic intra domum meam faciam venire, qui vos omnes faciat vitæ æternæ participes; Et ita Domino procurante completur.

* *lachrymis reuocaret.*

* *omnes vna voce dixerunt.*

* *huc.*

Vrbanus Papa à S. Cæcilia ad fidem conuersos baptizat.

Tunc veniens Papa Sanctus Vrbanus baptizauit intra domum eius amplius quam quadringentos promiscui sexus, conditionis, ætatis, inter quos vnus clarissimus vir erat nomine Gordianus, hic sub * defensione sui nominis domum Sanctæ Cæciliæ suo nomine titulauit, vt in occulto ex illa die, ex qua baptisma Christi ibi celebratum est, * Ecclesia Dominica fieret; ita vt etiam Papa Vrbanus illic moraretur, & licet occulte, quotidie tamen redemptionis Christi ibi crescerent lucra, & Ecclesiæ innumerabiles talentorum thesauri, Diabolo vero perpetua detrimenta.

* *vmbratione.*

* *Ecclesia dominicæ.*

Vrbani Missæ in domo S. Cæciliæ.

Sed

Sed cum hæc agerentur, Almachius Præfectus Sanctã Cæciliam ſibi præſentari iubet, quam interrogans ait; Quod tibi nomen eſt, Puella? Reſpondit, Cæcilia, ſed apud homines; 52 quod autem illuſtrius eſt, Chriſtiana ſum. Almachius dixit: Cuius conditionis es? 53 Cæcilia reſpõdit: Ciuis Romana, *illuſtris, ac nobilis. Almachius dixit: Ego te de Religione interrogo; nam natiuitate ſcimus te nobilem. Sancta Cæcilia dixit: Interrogatio tua ſtultum ſumpſit exordium, quæ duas reſponſiones vna putat inquiſitione concludi. Almachius Prefectus dixit: Vnde tibi tanta præſumptio reſpondendi? Cæcilia Sancta dixit: De conſcientia bona, & fide non ficta. Almachius dixit: Ignoras, cuius poteſtatis ſim ego? Beata Cæcilia dixit: Et tu ignoras, cuius ſponſa ſim ego? Almachius dixit: Cuius? Sancta Cæcilia dixit: Domini Ieſu Chriſti. Almachius dixit: Ego te coniugem Valeriani ſcio. Cæcilia Sancta dixit: Tu Præfecte te ipſum ignoras, cuius ſis poteſtatis; nam ſi me interroges de tua poteſtate, veriſſimis tibi aſſertionibus manifeſto. Almachius Præfectus dixit: Si noſti dic, delector, ex ore tuo audire ſermonem. Sancta Cæcilia dixit: Qualiter delectaris, taliter iudicaris, tamen audi; Poteſtas hominis ſic eſt quaſi vter vento repletus, quem ſi vna acus pupugerit, omnis rigor ceruicis eius* folleſcit, & quicquid rigidum in ſe habere cernitur, incuruatur. Almachius dixit: Ab iniurijs cœpiſti, & iniurijs perſeueras? Cæcilia dixit: Iniuria non dicitur, niſi quod verbis fallentibus irrogatur,* aut iniuriam doce, ſi* falſe loquuta ſum, aut te ipſum corripe calumniam inferentem. Almachius dixit: Ignoras, quia Domini noſtri Inuictiſſimi Principes iuſſerunt, vt, qui ſe non negauerint eſſe Chriſtianos, puniantur, qui vero negauerint, dimittantur? Sancta Cæcilia dixit: Sic Imperatores veſtri errant, ſicut & 54 Nobilitas veſtra; ſententia

* *ingenuæ nobilis, clariſſima.* S. Cæcilia ciuis Romana illuſtris, ac nobilis.

1. *Tim.* 1.

**molleſcit.*

**vnde aut.* **falſa.*

tia enim, quam ab eis prolatam esse testaris, vos sæuientes, & nos innocentes ostendit; si enim malum esset hoc nomen, nos negaremus, vos vero ad confitendum suppli cijs vrgeretis. Almachius dixit: Pro pietate sua hoc vo-
*nostra. luerunt statuere, vt commodo vitæ * vestræ possit esse consultum. Cæcilia Sancta dixit: Nihil tam impium, nihilq; tam innocentiæ inimicum, quam vt reis omnibus tormenta adhibeatis, & ad confitendum qualitatẽ sceleris, locum, tempus, conscios, socios omni examinatione perquiritis; nobis vero, quos innocentes scitis,
Christianis solum nominis crimẽ impingebat. nominis tantum crimen impingitis: Sed nos scientes sanctum nomen, omnino negare non possumus; melius est enim felicius mori, quam infeliciter viuere; Nos
*torquetis enim vera dicentes vos * torquemus, qui mendacium elaboratis audire. Almachius dixit: Elige tibi vnum è duobus, aut sacrifica, aut negà te Christianam esse, vt copiam euadendi suscipias. Tunc ridens Beata Cæcilia dixit: 55 O Iudicem necessitate confusum, vult, vt ne-
*ipsi me faciam nocentem. gem me innocentem, vt * ipse faciat nocentem; parcit, & sæuit, dissimulat, & aduertit; si vis damnare, cur hortaris negare? si vis absoluere, quare non vis inquirere? Almachius dixit: Accusatores præsto sunt, qui te Christianam esse testantur, si negaueris, compendiosum dabis Accusantibus finem; si negare nolueris, dementiæ tuæ
*deputabitur. * reputabis, quando sententiæ subiacebis. Cæcilia Sancta dixit: Horum mihi accusatio votiua est, & tua pœna victoria; noli me vt dementem arguere, sed te ipsum increpa, quia Christum me æstimas denegare. Almachius dixit: Infelix ignoras, quia & viuificandi, & mortificandi mihi ab Inuictissimis Principibus potestas est data? vt quid cum tanta superbia loqueris? Sancta Cæcilia dixit: Aliud est esse superbum, & aliud esse constantem, ego constanter loquuta sum, & non superbè, quia superbiam. & nos fortiter execramur; tu autem si verum audire non times, iterum te docebo falsissimè, &

nunc

nunc esse loquutum. Almachius dixit: Quæ sum falsissime prosequutus? Sancta Cæcilia dixit: Hoc falsissime loquutus, quod Principes tuos viuificandi, & mortificandi tibi tradidisse asseris potestatem. Almachius dixit: Ergo mentitus sum? Cæcilia Sancta dixit: Contra veritatem publicam, si iubes, probabo te esse mentitum. Almachius Præfectus dixit: doce. Sancta Cæcilia dixit: Dixisti Principes tuos, & viuificandi, & mortificandi copiam tribuisse licentiæ, cum solum mortificandi scias tibi traditam potestatem; vitam enim viuentibus tollere potes, mortuis * dare non potes: dic ergo, quia Imperatores tui, mortis ministrum te esse voluerunt; nam si quid plus dixeris, videberis frustra mentitus. Almachius dixit: Depone iam audaciã tuam, & sacrifica Dijs. Sancta Cæcilia dixit: Nescio, vbi tu oculos amiseris, nam quos tu Deos dicis, ego, & omnes, qui oculos sanos habemus, saxa videmus esse, & æramentum, & plumbum. Almachius dixit, meas iniurias philosophando contempsi, sed Deorum ferre non possum. Cæcilia Sancta dixit: Ex eo, quod os aperuisti, nõ fuit sermo, quem non probarem iniustum, stultum, & vanum; sed ne quid deesset, puto etiam exterioribus oculis te cęcũ ostendis, vt quod omnes lapidem videmus esse, saxum inutile, hoc tu Deũ esse testaris; do, si iubes, consilium, mitte manum tuam, & tangendo disce saxum hoc esse, si videndo non nosti, nefas est enim, vt totus Populus de te risum * habeat, cũ omnes sciant, Deum in cælis esse; * istas autem figuras saxeas per ignem melius in calcem posse conuerti, quæ modo sui otio pereunt, & neque tibi pereunti, neque sibi, si in ignem mittantur, poterunt subuenire; solus Christus eripit de morte, & de igne ipse valet liberare.

Tunc iratus vehementer Almachius Præfectus iussit eam in domum suam reduci, 56 & in sua ibi domo flãmis balnearibus cõcremari; cumque fuisset in calore balnei inclusa, & subter incendia nimia lignorũ * pabula minis-

* *vitam dare.*

* *faciat.*

* *maleficos autem ac Idolarios ignis consumet; istas autem.*

S. Cæc. in feruẽtibus balneis inclusa.

* *pabulo.*

*in frigida rio.

strarent die integra, & nocte tota quasi * in frigido loco illibata perstitit sanitate, ita vt nec vna pars membrorum eius saltim sudoris signo lassaretur: Hoc cum audisset Almachius misit, qui eam in ipso Balneo decollaret; quam cum spiculator tertio ictu percussisset, caput eius amputare non potuit; sic autem semineccm eam cruentus carnifex dereliquit; (nam apud veteres lex erat eis imposita, vt si in tribus percussionibus non decollaretur, amplius percutere non audebat) Cuius [57] sanguinem omnes bibulis linteaminibus Populi, qui per eam crediderant, extergebant; Per triduum autem, quod superuixit, non cessauit omnes, quos nutrierat, & quos docuerat, in fide Domini confortare; quibus, & diuisit vniuersa, quæ habuit, & Sancto Vrbano Papæ tradidit cõmendatos, cui & dixit: Adhuc triduanas mihi popposci inducias, vt & istos [58] tuæ Beatitudini traderem, quos nutriui, & hanc [59] domum meam in æternum Ecclesiæ nomini * consecrares.

S. Cæcilia tertio percutitur, & eius caput amputari nõ potest.

S. Cæcilię sãguis à Fidelib⁹ colligitur.

*consecrarem.

Tunc Sanctus [60] Vrbanus Papa corpus eius auferens cum Diaconibus nocte sepeliuit eam [61] inter Collegas suos Episcopos, & Martyres, vbi Sancti Confessores sunt collocati; Domum autem eius in æternum [62] Sanctam Ecclesiam suo nomine consecrauit, in qua beneficia Domini exuberãt ad memoriam Beatæ Cæciliæ, vsque in hodiernam diem, per eum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Vrbanus Papa corpus S. Cęciliæ sepelit.

S. Cęciliæ domus Ecclesia consecratur.

*Explicit Passio S. Caeciliæ, & Sociorum eius.*

VITA

# VITA
# S. VRBANI PAPÆ
# ET MARTYRIS,
## QVAE IN TRIBVS ANTIQVIS EGREGIIS Manuſcriptis Exemplaribus Bibliothecæ Vaticanæ habetur.

*Incipit Paſsio S. Vrbani Papæ, & Martyris, & Sociorum.*

VRBANVS Epiſcopus, natione Romanus ex nobiliſſima proſapia ortus, cuius Pater Pontianus dictus eſt, à Beato Petro Apoſtolo octauus decimus Vicarius extitit. Præfuit autē temporibus Alexandri, qui cū commonitus à [2] Mammea Matre, clemens in Chriſtianos eſſet, [3] Almachius Vrbis Præfectus in eos tyrannidem exercebat. Hic Apparitoribus ſuis præfecit quendam crudelem Virum Carpaſium nomine, eique præcepit, vt cum omni ſollicitudine quæreret, ſi forte reperiret Chriſtianos abſconditos. Quod cū diligenter faceret, Beatum Vrbanum [4] cum tribus Diaconibus, & duobus Presbyteris in quodam reperit antro: Et currens, anxiando, hæc Præfecto ſub feſtinantia nuntiauit. At ille, qui Chriſtianorum genus delere cupiebat è terra; iuſſit vt eoſdem Chriſti Famulos ſuo conſpectu celeriter præſentaret. Veniens itaque Carpaſius

B. Vrbani progenies nobiliſsima.

Alexāder Imper. clemens in Chriſtianos.

Almachius Vrbis Prefectus.

B. Vrbanus in quodā antro cum Socijs repertus coram Prefecto adducitur.

Palatium Vespasiani.

Beatum Vrbanum, & eius Clericos ad [5] Palatium Vespasiani deduxit, in quo Almachius morabatur: Quos Præfectus intuens vt leo infremuit, & proloquens ait: Nonne iste est Vrbanus seductor, qui iam semel, & iterũ damnatus est, quem Christiani sibi Papam fecerunt? Cui Beatus Vrbanus respondit: Ego seduco Homines, vt viã iniquitatis relinquant, & ad viam veritatis deueniant. Præfectus dixit: O via veritatis, quæ nec Deos colit, nec Principes obtemperat. Beatus Vrbanus respondit: Nec Deos tuos colo, nec Principes tuos timeo; fac, quod facturus es. Carpasius autem ait ad Almachium, & ad Populum circumstantem: Quid vobis videtur de sacrilegis istis? Almachius dixit: Vt ducantur ad Pagum iuxta Templum Iouis, & ibidem custodię mancipentur. Quod cum à Carpasio fuisset impletum: Audientes hoc Christiani venerunt nocte vsque ad Carcerem, & [6] dantes munera Carcerario nomine Anolino intrauerũt ad Sanctos: quos cum vidissent cęperunt altius gemere, & prostrati humo [7] benedictionem à Summo Præsule deposcebant; qua suscepta vnà cum Sanctis tota nocte in Dei laudibus vacauerunt: Et cum iam diluceseeret, [8] dantes inuicem pacis oculum, Beati Papæ se orationibus commendauerunt.

B Vrban⁹ semel, & iterũ damnatus.

Anolinus Carcerarius.

Pacis oscu lum.

Post hæc misit Almachius Præfectus [9] ad Carpasium Vicarium, vt Vrbanum sacrilegum suo conspectui præsentaret; qui vnà cum Clero suo eiectus de carcere, Turcio Almachio præsentatur. Quos ille intuens ait: Deponite pertinaciã vestram, & sacrificate Dijs, quos adorãt Imperatores, & recedite ab insania, qua estis infecti; Iam enim per fallaciam vestram ferè quinque millia Hominum decepti perierunt; de quorum miserabili interitu vos rei estis. Beatus Vrbanus respondit: Non perierũt, vt tu miser existimas, sed ad Regna cælestia feliciter migrauerunt. Almachius dixit: Hac vana spe inducta Cæcilia cum Sponso suo, & Cognato omnem gloriam perdiderunt,

Magna Martyrũ multitudo.

diderunt,& immenſum tibi dimiſerunt Theſaurum,quẽ te nunc exhibere oportet. Beatus Vrbanus reſpondit: Stulte agnoſce Creatorem, pro quo illi ſua omnia Pauperibus erogantes, mori exoptauerunt. Almachius dixit: Deponite contumaciam,vt poſſitis viuere; alioquin male perire habebitis. Beatus Vrbanus dixit: Nõ pereũt, niſi qui vel fide, vel opere ſuo diſplicent Creatori. Almachius autem conuerſus ad Sanctos Presbyteros Ioannem, & Mamilianum dixit: Numquid & vos eadem ſentitis? At illi reſponderunt: Patris noſtri monita per omnia ſunt ſalubria, ſed in maleuolam animam non intrat ſapientia. Almachius dixit: Vt video, deteriores effecti eſtis, quam delirus Senex Magiſter veſter; ſed miſeri nõ erubeſcitis, qui totiens damnati proſcriptionibus in impudentia perduratis? & iratus iuſſit eos plumbatis cædi. Qui, cum cæderentur, clamabant: Gratias tibi agimus Domine. Porrò Almachius cum furore vociferabat dicens: Iſti ita arte magica imbuti ſunt, vt nullo modo valeant noſtris iuſſionibus obedire. Beatus Vrbanus dixit ei: Immo tu miſer Dijs tuis ſimilis es effectus, aures habens, & non audiens; oculos, & non videns.

B. Cęcilię theſaurũ à B. Vrbano petit Almachius.

Ioannes, & Mamilian⁹ Preſbyteri.

*Sap. 1.*

Sãcti plũbatis cedũtur.

Ad hæc iratus Almachius ait: In iniuriam Deorum os non timuiſti procaciter aperire? Teſtor Deos, Deaſque, quia dignus es capitis ſubire ſententiam. Sanctus Vrbanus dixit: Quam reuerendi ſunt Dij tui, ſi geſta eorum recolas, facile deprehendes; Porrò Deus noſter creauit omnia, & nos ſuos famulos corroborauit dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Almachius dixit, nequaquam; ſed cum ſis ſenex, mortem reputas requiem; & ideo, quaſi inuidens luuenibus, facis vt alij amittant, quod te ſenectus cogit amittere. Ad hæc Ioannes Presbyter reſpondit: Manifeſte mentiris; Patri enim noſtro, & in iuuentute

*Matth. 10.*

*Philip.* 1. Vrbanus multotiēs confessor effectus.

tute Christus viuere fuit, & mori lucrum; multotiens quippe pro eo confessor effectus, animam suam pro eius ouibus posuit. Tunc Almachius iussit venire ad se Carpasium, & dixit ei: Audi Carpasi, Vrbanum sacrilegum vnà cum Clero suo, in priuata claude custodia, donec nostris obtemperet iussionibus: Quos Carpasius comprehendēs duxit ad Carcerem iuxta Pagum; ac vbi ingressi sunt Sancti, psallebant dicentes: Domine refu-

*Psal.* 89. gium factus es nobis à generatione, & progenie. Et quidam Christiani hoc cognito venerunt ad eos nocte, inter quos erant [10] tres Tribuni Fauianus, Callistus, & Ammonius, & duo Presbyteri Fortunatus, & Iustinus, qui dum veniissent, ad ianuam pulsantes steterùnt; Vt autem audiuit Marcialis Diaconus, curauit nuntiare B. Vrbano, quod ille audiens rogauit Anolinum Carcerariū, vt eos ad se intrare permitteret; Mox vt ingressi sunt, [11] corruentes ad pedes S. Vrbani cum fletu dixerūt: Ora pro nobis Sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet; quibus ipse respondit: Nolite ex hoc fle-

Marcialis vnus de Diaconis B. Vrbani.

*Act.* 14. re, sed magis gaudete; per multas enim tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei. Totam itaque no-

Sācti pernoctant in oratione.

ctem in hymnis, & canticis transigentes Dei misericordiam implorabant. Videns autem Anolinus cuncta, quæ gerebātur, [12] misit se ad pedes Beati Vrbani cum lachrymis rogans, vt baptizaretur ab eo; quem Beatus Vrbanus iussit surgere, & ait ei: Vide Fili, si ex toto corde credis, vt remissionem percipias peccatorum? Respondit Anolinus cum fletu dicens, credo Domine; Et bapti-

Anolinus Carcerarius baptizatur.

zauit eum, [13] ac chrismate consignauit. Et cum dies factus esset, Missarum solennia celebrantes Pane cæleſti refecti sunt.

Audiens hæc Almachius iussit iterum Beatum Vrbanum cum Clero suo suis Tribunalibus præsentari, cui & dixit: Sic adhuc in vesania tua perduras, vt non solum te ipsum ab errore non reuoces; sed etiam alios errore

studeas

ſtudeas implicare? Nam & [14] Anolinum Commentarienſem noſtrum tuis te audiuimus contagijs infeciſſe. Ad hæc Anolinus ait: Infelix ego, qui præterito vitæ meæ tempore non agnoui Creatorem meum; veruntamen gratias ago ei, quia ſaltem in extremo dierũ meorum, ſui mihi cognitionem miſericorditer tribuit. Almachius dixit: Huius loquacitas, ſi repreſſa non fuerit multis erit cauſa damnationis; & data ſententia iuſſit, vt capite puniretur. Qui ductus ad Templum Dianæ, cum ſacrificare renueret iuxta Templum decollatus eſt xv. Calendas Iunij. Commentarienſis. Anolinus decollat.

Poſt hæc Turcius Præfectus iuſſit ſibi Tribunal parari, vt nocte Chriſti famulos examinans opus ageret tenebroſum; Itaque aggrediẽs eos ait: Dicite miſeri, quæ eſt inſania veſtra, vt mortem magis optetis, quam vitam? Cui Reſpondens Præſul dixit: Non moriuntur, qui patiuntur pro Chriſto, ſed magis vitam percipiunt ſempiternam. Præfectus dixit, nulla ratione poſſum aduertere, quomodo poſſit hoc fieri. Beatus Vrbanus reſpondit: quia carnalis Homo non percipit, quæ Dei ſunt. 1. Cor. 2. Almachius dixit, præſto eſt ſuperbæ veſtræ reſponſionis remuneratio, quia in noſtram, & Deorum iniuriam de bacchamini; & præcepit Carpaſio dicens: Ducite eos ad Templum iuxta Pagum, & vel ſacrificent Deo magno Ioui, vel multiplicibus macerentur ſupplicijs. Venientes igitur ad Templum Iouis [15] iuxta Pagum, vbi dicebatur locus Trucidatorum, compellebantur ab Apparitoribus, vt libamina Dijs imponerent. Illi autem irridentes, & expuentes in Simulacrum dicebant: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Iratus autem Carpaſius dixit ad Sanctos: Infelices diſcedite ab hoc peruerſo dogmate, & adorate Deos, & eſtote amici Principum. Beatus Vrbanus reſpondit: Inſenſate Canis, quaſi ſepulchrum patens guttur tuum fœtorem emanat, nobis enim nullo modo perſuadere poteris Sancti ducuntur ad Pagum ad Templum Iouis. Locus Trucidatorũ. Pſal. 134. Pſal. 5.

teris, vt a charitate Christi aliquatenus separemur. Cõuersus Carpasius ad Satellites dixit: Quidnam esse dicitis, quod Sacrilegi isti audaciores sunt pro maleficijs suis, quam aliquis Miles pro defensione Reipublicæ? Sancti autem responderunt: Si vos pro reuerentia lapidum sic nitimini, vt etiam vestris consanguineis non parcatis; quid nobis est agendum pro Deo viuo, & vero, à quo conditi sumus? Carpasius ait: Præceptum Principum exequi nos oportet, vt videlicet, nisi sacrificetis, diuersis macerati supplicijs capite puniamini. Respondentes Sancti dixerunt: Hoc est, quod optamus. Carpasius dixit ad Clerum eius: Princeps vester pro senectute hebes effectus mori desiderat; Vos autem vt prudentes iuuentuti vestræ conuenit prouidere. Sancti responderunt dicentes: A Patris nostri vestigijs nullatenus exorbitabimus.

Tunc Carpasius pertractans secum de Sanctorum cõstantia, reduxit eos ad Almachium Vrbis Præfectum, referens, quod nec minis, nec precibus eos posset à primo reuocare proposito. Tunc Præfectus agitans caput ait: Video eos ad hoc tendere, vt magis mori eligant, quam ab his superstitionibus suum animum reuocare. Nunc ergo reducantur ad Templum, & si statim non sacrificauerint, non iam cum eis multiplicitate verborũ, sed ensium ictibus disputetur. Ad hæc quidã Tarquinius cognomento Taurinus dixit ad Præfectum, si tu cũ eis ò Princeps ires ad Templum, posses forsitan eorum sensus ad meliora conuertere. Credit Præfectus huius assertionibus, & præmittens cum satellitibus Sanctos ipse Militum ambitione stipatus subsequitur. Pergentes autem Sancti psallebant in via: Testimoniorum tuorum Domine delectati sumus, sicut in omnibus diuitijs. Et cum veniissent ad Pagum, compellebantur à Militibus sacrificare Dæmonijs. Qui cum erassent, & in cordibus suis clamassent ad Dominum; eleuans Beatus Vr-

Præfectus viâ cũ Sãctis pergit ad Pagũ. *Psal.* 118.

banus

banus vocem, & Statuunculam Iouis intuens dixit: Destruat te virtus Dei nostri, & repente cecidit Simulachrum; sed & Sacerdotes, qui ministrabant ignem sacrificij, mortui corruerunt. Tunc inuasit timor Præfectũ, & fugiens cum residuis, recepit se in Palatio Vespasiani sęuiens contra Sanctos, & facta de eis inquisitione iussit eos suis Tribunalibus applicari; quibus cum indignatione locutus ait: Quousque artem magicam sectamini? an putatis, quod de manibus meis eripi valeatis? Respondentes Sancti dixerunt: Potens est Dominus eripere nos de manibus tuis. Tunc Almachius iussit eos 16 extensos in terra fustibus diutissime cædi, & cum cæderentur, & Deo gratias agerent, 17 vnus de Diaconibus erectis ad Cælum oculis emisit spiritum. Sanctus vero Vrbanus hortabatur cæteros, ne tormenta paueſcerent momentanea. Almachius autem Satellitibus suis ait: Plumbatis, & 18 scorpionibus eum cædite, quia fustes derident. Et cum hoc ageretur, Ministri Diaboli iactauerunt corpus Sancti Luciani de Tribunali ante conspectum Sanctorum; quod quidem nemo Christianorum propter Tyrannorum Edictum palam ausus est sepelire. 19 Veniẽs igitur noctu Fortunatus Presbyter tulit corpus, & 19 sepeliuit in Crypta in Cœmeterio Prætextati xij. Calendas Iunij.

Iouis simulachrũ ruit & Sacerdotes pereunt.

*Dan. 3.*

SS. fustib⁹ cęduntur.

Vnus de Diaconibus emittit spiritũ.

S. Vrban⁹ plũbatis, & scorpionibus cæditur.

s. Lucian⁹ sepelituꝝ Cœmeterio Prætextati.

Post diem autem tertium iussit Almachius Apparitoribus suis, vt Beatum Vrbanũ cum Clero suo ad 20 Templum Dianæ ducerent, & si sacrificare renuerent, tunc sine dilatione capite plecterentur; Cumque ducerentur; B. Pontifex exhortabatur eos dicens: Ecce nos Dominus vocat inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; Hactenus eum vidimus, quasi per speculum, & in ænigmate, præsto autem est, vt videamus eum facie ad faciem. His, & alijs verbis cum eos sollicite commoneret, deuenerunt

*Matt. 11.*

*1. Cor. 13.*

ad Templum, & dixerunt Carnificibus Sancti: Facite quod facturi estis, quasi & nunc spreuissemus, quod multotiens nos spreuisse cognoscitis. Cum ergo, & illi ad sacrificia hos impellerent, & isti omnimodo recusarent, ducti extra Templum decollati sunt. Venientes autem supranominati Tribuni Fauianus, Callistus, & Ammonius cum quibusdam alijs Christianis, ²¹ fleuerunt fletu magno super Pastore suo, qui pro eis animam suam posuerat; sed & vasa sacra argentea ad ministerium Altaris fecerat plurima, & patenas argenteas vigintiquinque. Fecerat & ordinationes quinque per Mensem Decembrium, Presbyteros nouem, Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca octo. Sepelierunt autem eum cũ suis Socijs in Cœmeterio Prætextati Via Appia octauo Calendas Iunias; & cessauit Episcopatus eius diebus triginta, cum gubernasset Ecclesiam annis octo, mensibus vndecim, diebus duodecim, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. Vrban⁹ cum socijs decollat.

Vrbanus cum socijs sepelitur ī Cœmeterio Prętextati.

*Explicit Passio S. Vrbani Papæ, & Sociorum.*

EIVS-

EIVSDEM

# S. VRBANI PAPÆ PASSIO,

## EX DVOBVS ANTIQVIS LECTIONARIIS Manuſcriptis Baſilicæ Sancti Petri deprompta,

*Quam licet imperfectam eſſe animaduerterimus, ſunt enim nouem lectiones ex integris eiuſdem Vrbani Actis deſumptæ, quæ in matutinali officio antiquitus in Eccleſia legebantur; eam tamen edendam quoque cenſuimus, quia multa ex ipſa Eccleſiaſticarum antiquitatum ſtudioſi colligent obſeruanda.*

*Paſſ. Sancti Vrbani Papæ, & Martyris.*

### LECTIO PRIMA.

VRBANVS Epiſcopus, natione Romanus ex nobiliſſima proſapia ortus, cuius pater Pontianus dictus eſt. Qui Vrbanus à Beato Petro Apoſtolo octauus decimus Vicarius extitit. Poſtquã Beatiſſimus Calliſtus Epiſcopus tempore † Alexandri Imperatoris per triumphum Martyrij migrauit ad Chriſtum, Sanctiſſimus Vrbanus iam ſenex Cathedram Romanæ Vrbis ſuſcepit, qui eiuſdem dignitatis faſtigio ſublimatus, multas calamitates, ac tribulationes huius mundi adeptus, nulla conſecutus eſt proſpera, ſed aduerſa omnia ob Chriſti portauit amorem. Hic ante Epiſcopatum

† *repoſuimus Alexandri cũ perperam Macrini nomen irrepſiſſet.*

probabilis fuit confessor, & post Episcopatum nihilominus semel, & iterum vsque septies pro nomine Saluatoris examinatus est, atque diiudicatus.

*Quæ hic desunt de anteactis coram Almachio suppleri possunt ex vita superius posita Bibliothecæ Vaticanæ.*

## LECTIO SECVNDA.

RESpiciens Almachius in B. Vrbanum, & in Clerum eius, & mox declinans faciem ad terram, & virgam, quam manu tenebat, agitãs, ac demum caput suum cum furore erexit, & talia dixit: Iam deponite perfidiam magicæ artis, quia tẽpus vos præstolatur, & sacrificate Dijs, quos Imperatores, & omnes adorant, & recedite ab his insanijs, quibus inuoluti estis. Iam enim pęnè vsque ad quinque millia Hominum perierũt vestro dogmate obligati, de quorum omnium miserabili interitu etiam vos homicidij rei estis. Beatus Vrbanus respondit: Non enim, vt tu miser putas, perierunt, sed ad cælestia Regna feliciter migrauerunt, & nos pro tanto labore duplicatum præmium à Domino reseruatum speramus.

## LECTIO TERTIA.

AD hæc Almachius Præfectus dixit ira repletus: Et vnde hoc credendum est, ad cęlestia Regna migrasse, qui tam dira examinatione iugulati sunt, vt etiã corpora eorum Bestiarum in potestate derelicta essent, & inhumata nihilominus permanerent? sed quia per aniles fabulas, quas inepte profers, te æstimas à me relaxari posse; dum & illud retineam in corde, quod Cæciliam illam sacrilegam tuis magicis irretisti incantationibus, simulque illustrissimos viros, idest Tiburtium, & Valerianum, & quos male illexisti, male & perire fecisti, ideo de mea præsentia non egredieris, donec iussionem meam in omnibus adimpleas.

Cæcilia Valerianꝰ & Tiburtius.

LE-

## LECTIO QVARTA.

BEatus Vrbanus Papa reſpondit: Quidquid tibi videtur, fac; Ego enim nullatenus tua præcepta obſeruo; ſed pro certo ſcias, quod antequam exeas de Mundo hoc, vltionem in te exercet Deus de ſanguine Sanctorum, quem iniuſte fudiſti. Tunc Almachius zelo diabolico excitatus, & amariſſima ira repletus dixit: Fac quod dico; oſtende mihi theſauros Cæciliæ, quos apud te ſcimus eſſe reconditos. Tu enim eam Dijs abnegare perſuaſiſti vnà cum viro ſuo, & neſcio quibus deliramentis eos ſic inſtruxiſti, vt quod rectum eſt omnino non valentes cognoſcere, crude, & male interierunt.

Theſauros Cæciliæ quęrit Almachi⁹

## LECTIO QVINTA.

BEatus Vrbanus Papa reſpondit: Stulte, & omni fallacia plene fili Diaboli, non agnoſcis Creatorem tuum? pro cuius nomine illi, quos tu dicis male interijſſe, ſanguinem ſuum fuderunt, cum quo regnant ſine fine, quia æquales Angelis facti ſunt, & merito. Nam ita eos decet, qui dum viuerent, in Terra non quaſi terreni, ſed quaſi cæleſtes quodammodo conciues lætaban tur. Reſpondit Almac hius, & dixit, depone iam perfidiam magicæ artis, & conſule tibi ipſi, & Clero tuo, vt viuere poſſitis, & noli temerario ore in iniuriam mei proferre ſermonem: Acquieſce itaque conſilijs meis, & manifeſta theſauros Cæciliæ, antequam crucieris, & ſacrifica, ne mala morte moriaris, & eſto amicus Imperatoris, & noſter.

## LECTIO SEXTA.

AD hæc B. Papa Vrbanus respondit: Nec tuam, nec Imperatoris tui amicitiam optabo, quia corruptibilis est; æterno quippe Regi famulari totis viribus, in quantum illi placuerit, omni auiditate exopto. Quod autem à me requiris pecuniam supradictam, nequaquam negabo, quia in gazophylacium Christi per manus Paulperum recondita est. Ergo dum pecuniam requiris, tota intentione non ob venerationem Deorum vestrorum Christianos sacrificare compellis, sed cupiditatis malo deuictus; Id te facinus detegere, & publicare alterum facit.

*Hic deest iussio Præfecti de Idolis sacrificando, & in renuentes sententia condemnationis, quæ supplentur ex vita superiori.*

## LECTIO SEPTIMA.

TVnc Beatissimus Vrbanus extensis manibus, & erectis ad cælum oculis talia dixit: Rex Angelorum Deus, omniumque Sanctorum, suscipe hac hora Animas nostras, & ne confundamur, dum ad te properamus, sed annumera nos inter Sanctorum Animas tibi placẽtium in vitam æternam. Et cum hæc dixisset respondentibus cunctis Amen, & dicentibus: Fiat Domine secundum verba Patris nostri Vrbani, vt laudemus nomen tuum in sæcula sæculorum: Tunc sancti 23 inuicem se osculantes osculo pacis, & munientes frontes suas vexillo Crucis Christi, flectentes genua gratias Deo referentes dicebant ad Carnifices quid agitis? sursum extendite manus, opus perficite cẽptum. Et dixerunt: suscipe Domine nos secundum verbum tuum, & viuamus.

Osculũ pacis.

Sancti muniunt frõtes signo Crucis.

LE-

## LECTIO OCTAVA.

HAec vbi dicta dederunt Sancti, decollati sunt pro nomine Domini Nostri Iesu Christi viij. Calendas Iunias, quorum corpora iacuerunt ante Templum Dianæ diebus quinque. At vbi cognouerunt quidam Christiani orthodoxæ fidei, quod Sancti fortiter agonizantes testimonium Christi suscipere meruerunt, venerunt nocte, & cum eis Tribuni, ideſt Fabianus, Callistus, Ammonius, & tulerunt corpora Sanctorum, & humauerũt in Cœmeterio Prætextati. Corpus denique Sancti Vrbani Papę ibi in superiori cœnaculo condiderunt cantantes, & funeri exequias psallentes Domino persoluebant.

Sancti decollantur.

Vrbanus in cœmeterio Prętextati in cœnaculo superiori sepelitur, cum exequiis, & canticis.

## LECTIO NONA.

HIs ita peractis [26] abijt Carpasius Vicarius, vt thura Dijs imponeret, qui statim à Diabolo arreptus est. Hoc dum nuntiatum fuisset Almachio fortuitu, tremor inuasit eum, & iussit Carpasium Vicarium sibi quantocius præsentari, cum autem à Militibus introductus fuisset ante Almachium, cœpit Dæmon acriter vexare eum, & quoscumque attingere valebat, rabidis dentibus laniabat, nihilominus confitens pœnas, quas à Sanctis perferebat. *

Carpasius Vicarius à Dæmone arripitur.

* *Exitum vitæ Carpasii, qui hic deficit, habes infra in notis nostris ex alijs Auctoribus collectum.*

EIVS-

EIVSDEM

# S. VRBANI PAPÆ VITA,

## EX LIBRO DE ROMANIS PONTIFICIBVS, qui nomine Damasi circumfertur.

VRBANVS natione Romanus ex patre Põtiano, [2]7 sedit annos octo, mẽses xj. dies xij. [2]9 Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas vigintiquinque appo suit. Hic verus Confessor extitit 29 temporibus Maximini, & Aphricani Coss. Hic sua traditione multos conuertit ad baptismum, & credulitatem, Tiburtium etiam, & Valerianum nobilissimum virũ Sponsum Sanctæ Cæciliæ, quos etiam vsque ad Martyrij palmam perduxit: Et per eius monita, & doctrinam multi Martyrio coronati sunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris, Presbyteros nouem, Diaconos quinque, & Episcopos per diuersa loca octo. Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Prætextati, via Appia, octauo Cal. Iunias, & cessauit Episcopatus dies triginta.

# VITA LVCII PAPÆ ET MARTYRIS EX EODEM LIBRO DE ROMANIS Pontificibus.

LVCIVS [1] natione Romanus, ex Patre Porphyrio, [2] sedit annos tres, menses tres, dies tres, martyrio coronatur. Fuit autẽ temporibus Galli, & Volusiani, [3] vsque ad Valerianum * tertium, & Gallienum Coss. *secundum

[4] Hic in exilio fuit relegatus, postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reuersus est: Hic præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diacones in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum; Qui etiam à Valeriano capite truncatus est quarto nonas Martij. Hic omnem potestatem Ecclesiæ dedit [5] Archidiacono suo Stephano. Hic fecit ordinationes * duas per mensem Decembris Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca numero septem. Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Callisti via Appia, & cessauit Episcopatus dies 35. *tres

# LITERÆ PASCHALIS PRIMI PAPAE

## DE REVELATIONE, ET INVENTIONE Corporis Beatæ Cæciliæ Virg. & Martyris, ac Sociorum eius, & eorundem intra Vrbem translatione.

*Reuelatio Domni Paschalis Papæ in Basilica B. Petri De inuentione corporis Beatæ Cæciliæ.*

CVM summæ Apostolicæ dignitatis apex in hoc diuino prospectus nitore dignoscitur præfulgere, in exercendis Dei laudibus sui impẽsius studebit laboris exhibere certamen. * Ad hoc debita nos eiusdem Apostolicæ pastoralis cõpulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dignoscitur locorum, vbertim promulgare, & Apostolicæ institutionis censura confirmare. Et quia conuenit, nostro Apostolico * moderamine, diuersa corpora Sanctorum, quæ diu incultè iacuerant, cum summa vigilantia ob honorem omnipotentis Dei infra huius Almæ Vrbis claustra honeste congregare; inter quos etiam corpus B. Cæciliæ Martyris peruigiles omnino inquirere deberemus; & quia iam dudũ fama interquosdam vulgauerat, quod eiusdem Beatiss.

* *C. V. Ab hoc de iniuncta nos eiusdem Apostolicæ Pastoralis sollicitudinis cura, quæ ad stabilitatem, &c.*

* *C. V. moderamini.*

Cæ-

Cæciliæ corpus ab [4]* Aſtulpho Langobardorum Rege furtim fuiſſet ablatum: Idcirco pęnè obliuionis obtentu poſtponere credebamus. Vnde tamen, Domini* annuente clementia, quadam die dum ante [5] Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli pſallentium matutinali luceſcente Dominica, reſidentes obſeruaremus harmoniam, ſopore in aliquo corporis fragilitatem aggrauante, aſtitit nobis Puella pulcherrima virginali aſpectu, vel habitu decorata; taliaque nobis, intuens, ait: Multas tibi gratias referimus, certamen, quod in me diu appoſueras, fruſtatorijs relationibus peruulgatis, ſine cauſa reliquiſti? [6]* qui tanto penes me fuiſti, quod ore proprio loqui cõmuniter valebamus. Et dum à nobis diligenter interrogata fuiſſet: Tu quis es? vel quod eſt nomen tuum, qui talia me pręſumendo conaris?* Si ex nomine quæris, Cęcilia, inquit, famula Chriſti vocor. Cui ſubiungens dixi: Quomodo hoc credere poſſumus,* quia olim fama relata eſt, quod eiuſdem ſacratiſſimæ Martyris corpus à Langobardis inde fuiſſet ablatum? Quæ ita reſpondens dixit: Veritas eſt, quod multum me deſideranter quæſierunt, ſed gratia Dominæ meæ, ſemperque Virginis Dei Genitricis affuit,* quod qualiter quotidie præſto ſum, nullatenus me longius abire permiſit; ſed ſicut cępiſti, perage, & ſicut operaris, indeſinenter operare, quia omnipotens Deus tibi me placuit reuelare,* & hæc dicens abſceſſit. Tũc etenim pro huius reuelationis manifeſtatione omni poſtpoſita difficultate incunctanter, & abſque ambiguitate ipſius venerabilis Virginis corpus

*C. V. Aſtulpho

*C. V. innuente.

*C. V. Quæ tanto penes me appropinquauit, quod ore proprio &c.

*C. V. Reſpondit ſi ex nomine, &c.

*C. V. Quod olim.

*C. V. Quod nec me inuenire, nec me deportare ſicut voluerãt hinc longius potuerunt; ſed ſicut cœpiſti &c.

*C. V. Et corpus meum cum alijs corporibus ſanctis, quæ ſunt iuxta me, reconditis; in titulo, quẽ nuper reparari mandaſti recõdere ſtude infra muros vrbis. Et hæc dicens, &c.

pus inquirendum decreuimus, qui etiam annuéte Deo, eiusque solito iuuamine properantes, in 7 Cœmeterio Sancti * Sixti situm foris portam Appiam, sicut in sacratissima illius passione manifestè narratur, inter collegas Episcopos in aureis indumentis cum venerabili Sponso reperimus, vbi etiam 8 linteamina, cum quibus sacratissimus sanguis eius abstersus est de plagis, quas spiculator trina percussione crudeliter ingesserat, ad pedes Beatissimæ Virginis in vnum reuoluta, plenaque cruore inuenimus; quæ omnia nostris manibus pertractãtes cum venerabili corpore honestè infra muros huius Romanæ Vrbis induximus. Pro cuius desiderabili dilectione 9 Titulus, * quem suo sancto nomine christiana deuotione dicauerat, & pęnè ruinis confractus diu antiquitatis laceratus manebat, Dei annuente clementia, in meliorem statũ à nobis à fundamentis 10 est restauratus; & ad honorẽ Omnipotentis Dei, eiusdem Virginis corpus cum charissimo Sponso, atque Tiburtio, & Maximo Martyribus, necnon Vrbano, & * 11 Lucio Pontificibus vtrisque 12 sub sacro Altare, dedicantes, collocauimus; ibique ad laudem Creatoris * Monasterium in honorem B. Gregorij, atque Sanctarum Virginum, seu Martyrum Agathæ, & Cæciliæ * iuxta ipsius Ecclesiam in loco, qui dicitur colles iacentes, constituentes construximus; in quo Monachorum Deo seruientium Congregationem pro cotidianis laudibus in præfato Titulo Sanctæ Cæciliæ die noctuque

* *C. V. Sixti, seu Fratextati.*

* *C.V. Quem pia deuotionis affectu Sanctus Papa Primus Gregorius doctor eximius dicauerat, & per oblita iam tempora defectu vetustatis, & pene ruinarũ confractione diu antiquitatis laceratũ existẽdo, Dei annuente clementie, in meliorem statum à nouis fecimus restaurari, et ad honorẽ omnipotentis Dei, eiusq; Virginis corpus cũ Sacratissimo sponso &c.*

* *C.V. Lucio vtrisq; Pontificibus sub sacro Altare B. Andreæ Apostoli dedicantes &c.*

* *C.V. In prefato Monasterio Beatorum Andreæ Apost. & Greg. confes. nec non in honore SS. Vir. &c.*

* *C.V. Infra Ecclesiam in loco, qui dicitur colles iacentes sub Altare supradicti Apostoli corpus supradicte Virg. Cæcilie cum pradictis Sanctis Martyribus, & Romanis Pontificibus almis constituentes condidimus. In quo Me-*

Domino

Domino Deo noſtro deprecandis ſtatuimus; & pro ſubſidio, & luminariorum concinnatione, ſeu vtilitate, atque ſtipendio Monachorũ, necnon pro amore atque dilectione, quam erga Prædeceſſorem noſtrum piæ recordationis Domnum Leonem Tertium Papam habere videmur, [13] Hoſpitale S. Peregrini poſitum ad B. Petrum in loco, qui vocatur [14] Naumachia, quod idem Prædeceſſor noſter conſtruxerat, & ob * neglectum, atque deſtitutionem Præpoſitorum paupertatis inopia * laborare monſtratur † pio iuuamine conſulentes cum fundis, & caſalibus, atque maſſis, ſeu & colonis, ſiue domibus, nec non familijs, & vniuerſis, quæ iuſtè, & rationabiliter ſecundum legũ ſtatuta à Prædeceſſore noſtro iam præfato Hoſpitali donata ſunt, pia deuotione ad augmentum dicti Monaſterij adiunximus, & noſtræ auctoritatis pagina pro iam nominata Monachorum Congregatione in eodem Monaſterio confirmauimus.

*nachorum Deo ſeruientiũ congregationi iuuamine conſulimus pro cotidianis laudibus, & pro ſubſidio, & luminariorũ continuatione, ſeu vtilitate atque ſtipendio Monachorũ die noctuque Domino Deo noſtro deuotione debita perſoluendis. Necnon pro amore &c.*

* *C. V. negligentiam.*

* *C. V. laborabat iuſſimus reſarciri. Quæ omnia in Epiſcopali libro plenius continentur.* FINIS.

† Hæc, quæ ſequuntur deſunt in Codice reuelationis, quę inde ſumpta ſic proſequitur Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius.

*Explicit reuelatio de Inuentione Corporis S. Cæciliæ, & Sociorum.*

ECCLE-

# ECCLESIASTICÆ ANTIQVITATIS STVDIOSO LECTORI.

HABES, Christiane Lector, venerandæ antiquitatis picturæ exemplar, quam annis ab hinc ferè octingentis in porticu Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ Virginis, & Martyris, Romæ in Regione transtiberina extantis, Paschalis Primus Pontifex Maximus fieri iußit. Qua quidem exprimitur, vt Sanctæ Virginis pro Christo martyrio coronatæ corpus Vrbanus Primus religiosè collectum, atque in viam Appiam transportatum in Cœmeterio Sancti Sixti, seu Prætextati proprijs manibus marmoreo condiderit monumento; vtque postquam illud longo tempore ignotum latuisset, quinto mo ab Aystulpho Langobardorum Rege ereptum fama vulgante, crederetur; id ipsum Beata Martyr supradicto Paschali apud Sanctum Petrum matutinas vigilias agenti, somnoque diuinitus correpto apparens reuelauerit. Quod ille in loco sibi demonstrato repertum, solennique pompa in Vrbem relatum in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ, quæ quondam eius domus transtiberim fuerat, honorificè sub Altari maiore vnà cum Socijs recondidit; totiusque rei vt apud posteros memoria extaret, in ipsa Templi porticu seriem depingi curauit. Quæ pictura, cum facile metuendum sit, ne non tam temporis iniuria, quam albi tectorij superinductione, vt in multis similibus factum est, aboleatur; hic tibi nostro studio, praclarique Artificis manu ad viuum expressa redditur, & conseruatur. Ea quisquis sacram veneraris antiquitatem, fruere, ac bene vale.

Anton. Tempesta Florentinus

Aspice Cæciliã solenni Vrbanus honore
Appia ut elatam sub sacra cubilia bustis
Pontificum sociat, niueaq; includit in arca:
Felicem at tumulum tenebris ingrata uetustas
Obruerat; sanctæ sublataq; Martyris ossa
Hostili dextra, rerum inscia fama canebat

Ergo hinc Paschalem, longo post tempore cerne
Clauigeri residet dum matutinus ad aram
Vt rapitur somno, seq; illi nobilis offert
Per placidam Virgo manifesta in luce quietem,
Hac cineres mostrante, pios ediscit ut Vrbi
Inferat, et Titulo condat prope Tybridis amnẽ

AD HISTORIAM PASSIONIS

# SS. CÆCILIÆ VIRG. VALERIANI, TIBVRTII, ET MAXIMI MARTYRVM.

## ANTONII BOSII I. V. D. Notæ.

1 PASS. SANCTÆ CÆCILIÆ VIRG. Historiam hanc passionis Beatæ Cæciliæ antiquissimam esse, ex pluribus colligitur; primum quia in peruetustis manuscriptis codicibus Ecclesiarum Vrbis, eiusdemque Sanctæ Cæciliæ Monasterij, ac Vaticanæ Bibliothecæ habetur, & vt videre est per nouem Lectiones distincta, quæ in matutinali Officio antiquitus legi solebant. Ipsum quoque sacrum Officium, quo nunc Ecclesia in natali eiusdem Sanctæ Martyris vtitur, tam in antiphonis, quam responsorijs, & versiculis huius historiæ verbis contexitur, atque ex eadem tres lectiones de Sancta mutato stilo desumptas apparet. Hanc ipsam præterea passionem græco idiomate reddidit Metaphrastes, iterumque latinè verterunt Surius, & Lipomanus: Eadem citatur in literis Paschalis Primi super inuentione corporis Sanctæ Cæciliæ ijsdem planè verbis relatis, quæ in ipsa historia legimus, Sanctam Martyrem inter Confessores Episcopos sepultam fuisse. Denique D. Adhelmus, siue vt

*Metaphrast. sub die 22. Nouembr.*
*Sur. tom. 1.*
*Lipom. to. 5.*
*D. Adhelm. de lau. virg. cap. 23.*

ab alijs appellatur, Aldhelmus Occidentalium Saxonũ Episcopus, eo in libro, seu epistola, quàm de laudibus virginitatis ad sacras Virgines scripsit, vbi Sanctã hanc Virginem solenni elogio celebrat, Petrus Natalis in Catalogo, Vincentius Bellouacensis in speculo historiali, Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in sua historia, & alij; Martyrologium quoque Adonis perantiquum, aliaque cum hac historia non solum re, sed etiã verbis concordant. Ipsa quidem stylo, & dictionis genere redolet antiquitatem, atque in eam patet multa ex veteribus Actis, quæ iniuria temporum perierunt, fuisse illata; non sunt enim Acta ipsa pura Notariorum S.R.E. vt ex procœmio, & vberiore contextu historiæ cognosci tur, cuius tamen Auctor, quamlibet antiquus, ignoratur.

*Petrus Natal. in Cata. Vinc. in spe. to. 1. lib. 12. c. 22. S. Antonin. to. 1 tit. 7. c. 6. §. 16.*

Contigit glorioſum hoc Christi Martyris Cæciliæ, & Sociorum certamen Alexandro Seuero imperante, cum ab Vrbano Pontifice, vt hæc testatur historia, baptizati fuerint, & sub eius Episcopatu martyrij palmam acceperint, Sanctus autem Vrbanus, vt ex Eusebij Chronico, & aliorum colligitur, sub Alexandro fuerit, & ad Episcopatum assumptus, & martyrio coronatus: Quare manifesti erroris arguuntur, qui Commodo Imperante hos passos asserunt, vt in quibusdam Martyrologijs, in Adone etiam, & Vsuardo ante Molani editionem, apud Natalem, & plerosque alios legitur: Recte autem Marianus Scotus, Ado Viennensis in Chronico, aliiq; eos sequuti eorum martyrium ponunt sub Alexandro; quamquam quoad tempus eius Imperii non omnes consentiant, cũ Scotus annum Imperatoris duodecimum, Christi vero CCXXXV. designet; at Illustrisimus Cardinalis Baronius passionẽ hãc ponit sub Anno Domini CCXXXII. Alexandri Imperatoris anno nono, Agricola, & Clementino Coss. circa finem Põtificatus Vrbani Papæ. Id quidem vltimo Vrbani anno accidisse, mihi satis ea ratione suadetur, quod Vrbanus Papa (vt ex ipsius actis, quæ su

*Euseb. in Chronic.*

*Marian. Scotus, Ado Viennen. in Chronico.*

*Illustr. Car. Baron Annal. tom. 2.*

pra

pra posuimus cõstat) eidem Iudici Almachio adhuc in Præfectura sua durãti fuerit præsentatus, statimq; de S. Cæciliæ thesauris interrogatus; ex quo recentẽ adhuc illius memoriã fuisse animaduertimus; qua in re etiã conuenit Scotus, eodem Christi anno Virginis, & Pontificis martyriũ constituens: etiamsi, vt infra à nobis in notis ad passionem S. Vrbani demonstrabitur, non eodẽ anno Domini, sed verè intra vnius anni circulum vtraque passio contigerit. Cęterum licet Alexander Imperator nõ omnino abhorrentem se à Christiana Religione ostẽderit, quippequi Christi imaginem (vt testatur Lampridius) in Larario suo habuerit; multi tamen Martyres eo Imperante passi reperiuntur, vt SS. Martina, Tatiana Virgines, Calepodius Presbyter, Hippolytus Portuensis Episcopus, Callistus, & Vrbanus Pontifices, ac plerique alii: quod qua ratione factum sit, infra à nobis ostenditur.

*Lamprid. in vita Alex.*

Quod autem ad Cæciliæ nomen attinet, Cæciliorum gentem Romæ nobilissimam fuisse, ex qua Sancta hæc Cæcilia, vt verisimile est, genus duxerit inferius commodiore loco dicetur. Fuit verò & altera Cęcilia Martyr, cuius mentionẽ faciunt Acta SS. Saturnini, Datiui, Felicis, & Sociorũ Mart. quæ passa est sub Diocletiano Imperat.

*Acta SS. Saturnini &c. apud Sur. to. 1. 11. Febr.*

2 NATALE CELEBRATVR DECIMO CAL. DECEMB.

Dies obitus, & depositionis Sanctorũ ex prisca nostrorũ traditione Natales appellantur; cum enim præsens hæc, atque mortalis vita tot sit animi, & corporis miseriis obnoxia, vt vitæ nomen vix mereatur, mors quæ veræ vitæ principium est, Natale merito dicitur; per mortem enim ad incorruptibilem, & æternã vitam Iusti nascuntur. Animaduertamus (inquit Origenes) ò Homines, quę immutatio facta est in hominibus. Nam priores diẽ natiuitatis celebrabant, vnam vitã diligẽtes, & aliam post hãc non sperantes; nunc vero nos nõ natiuitatis diẽ celebramus, cũ sit dolorũ, atque tentationũ introitus, sed mortis diẽ,

*Orige. lib. 3. in Iob in fine.*

vtpotè omnium dolorum depositionem, & omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur ij, qui mori videntur. Propterea, & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriã agimus, tam illorũ refrigerio gaudentes, quã etiã nobis piã consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem natiuitatis celebramus, quoniam perpetuo viuent ij, qui moriuntur.] Dicuntur quidem Sanctorum festiui-

*Raban. lib. 2. de Instit. Cleric. c. 43.* tates (dicit Rabanus) Natalitia, & meritò; quomodo enim consuetè nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedẽs in lucem egreditur; ita rectissime potest natus dici, qui à vinculis carnis solutus ad lucem sublimatur æternã: & inde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies Beatorum Martyrum, siue Confessorum Christi, quibus de sæculo transierunt, Natales vocitemus, eorumq; solen-

*Alcuin de Diuin. Offic. de 6. feria.* nia non funebria, sed natalitia dicantur.] Et Alcuinus in libro de diuinis Officijs: Notum enim habet (inquit) omnis, qui verè Christianus est, Sanctos, cum ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, idest incorruptibilem, & interminalem transmigrare, scilicet de tenebris ad lucem perpetuam, de mœrore ad gaudium sempiternum, de labore ad requiem perennem, de carcere ad libertatem, de seruitute ad regnum. Vnde & mos Ecclesiasticus obtinuit, dies illos non funebres, sed natalitios appellare; Iure enim nasci dicuntur, qui de presturis huius mundi, tamquam de angustijs cuiusdam arctissimi ventris, ad illam spatiosissimam, & lucidissimam cælestis habitationis emittuntur latitudinem.] Porrò quemadmodum in Sanctorum Martyrum actis colligendis, ita etiam in die, quo quis martyrium consummasset perquirenda, ac diligenter annotãda antiqui Patres enixa opera laborarunt, vt ipsorum Martyrum passiones, seu natales anniuersaria commemoratione celebrarẽtur; hinc

*S. Cyprian. Epist. 37.* Sanctus Cyprianus: Denique (inquit) & dies eorum,

quibus

quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorũ inter memorias Martyrum celebrare posſimus; quamquam Tertullus fideliſsimus, & deuotiſsimus frater noſter pro cætera ſollicitudine, & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit (qui nec illic circa curam corporum deeſt) ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere Beati Fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum Domino protegente celebrabimus.] De his autem natalitijs, quæ vt plurimum in Cœmeterijs ad ſepulcra Martyrum fiebant ita Prudent.

*Prudent. in hymno S. Hyppoliti.*

*Iam cumſe renouat decurſis menſibus annus,*
*Natalemq; diem paßio * feſta refert:*
*Quanta putas ſtudijs certantibus agmina cogi,*
*Quæue celebrando vota coire Deo? &c.*

* facta

Sed de natali die, & natalitijs Martyrum, eorumque ſolennitatibus in libro noſtro de ſacris Cœmeterijs, qui cito fauẽte Deo prodibit in lucem, latius explicabimus. Verum quoad natale Sanctæ Cæciliæ ſpectat, cum illud decimo Calendas Decembris; Valeriani vero, & Tiburtij octauo Calendas Maij celebremus; glorioſum Sanctæ Cæciliæ martyrium menſibus ſeptem, & diebus octo poſt Mariti, & Cognati agonem eueniſſe colligitur.

3 POENAS INCENDII, QVAS PATITVR, INDICAT.

Quantum immundi Spiritus Sanctorũ nomina, eorumq; ſacras reliquias reformident, & ex eorũ crucientur aſpectu, innumeris Patrum teſtimonijs, & hiſtoriarum exemplis comprobatur. Non ſolum enim viui, Idolorum ſtatuis humo defectis, ipſos Dæmones earum habitatores, ad ſuam fallaciam Cultoribus detegendam, ſeque à Sanctis torqueri, & laniari confitendum coegerunt; ſed mortui etiam ſacrarum ſuarum reliquiarum præſentia omnẽ

eorum

eorum vim repressérunt, & reprimunt; solo enim San-

*S. Io. Chrysosto. contra Gent. siue in Babylã Martyrem. to. 5.*

cti Martyris Babylæ reliquiarum conspectu (vt scribit S. Ioannes Chrysostomus) perterrefactũ Apollinis oraculum in Daphne obmutuit, & responsa dare cessauit. Ea est enim (dicit idem Chrysostomus) Sanctorum potestas, vt illorum superstitum Dæmones ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint; vita autem functorum, & loculos quoque reformident.] Sanctus Hieronymus etiã

*S. Hieronym. aduersus Vigilantium.*

aduersus Vigilãtium sacrarum reliquiarum cultum negantem ita inuehitur: Sentio, sentio infelicissime mortalium quid doleas, quid timeas; Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur.] Et paulo infra: Ingredere Basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis: Inuenies ibi multos socios tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris.] Demũ ad præsentiam Sanctorum Martyrum vt fremant, & torqueantur Dæmones humana corpora obsidẽtes, ex eisq; effugentur elegantibus versibus describit Prudentius,

*Prud. hymno 1. Peristephan.*

in quibus nonnulla agnoscas haud dissimilia ijs, quæ in hoc procœmio legũtur; sic enim ait Christianus is Poeta.

*Cerne quàm palàm feroces hic domentur Dæmones,*
*Qui lupino capta ritu deuorant præcordia,*
*Strãgulant mentes, & ipsas, seq; miscent sensibus.*
*Tunc suo iam plenus hoste sistitur furens homo,*
*Spumeas efflans saliuas, cruda torquens lumina,*
*Expiandus quæstione non suorum criminum.*
*Audias, nec tortor adstat, eiulatus flebiles.*
*Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur.*
*Crescit, & suspensus ipse vinculis latentibus.*
*His modis spurcum latronem Martyrum virtus quatit.*
*Hæc coercet, torquet, vrit, hæc catenas incutit,*
*Prædo vexatus relictis se medullis exuit.*
*Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit,*
*Vngue ab imo vsque ad capillum salua reddit omnia,*
*Confitens ardere se se, nam gehennæ est incola.*

S. Am-

S. Ambrosius denique hoc idem innuit inquiens: Cur enim non honorent fideles, quos reuerentur dæmones? *S. Ambros. ser. 93.*

4 IPSE ENIM TRIVMPHALIS CRVCIS SVÆ LABARO. In Iustinianeo,& Theodosiano Codicibus extant Tituli de Præpositis labarum, vbi clarissimi inter electos nominantur,ita vt ex Consularibus habeantur,quibus (vt notat Alciatus) suberant Mediastini omnes,aliique Imperatorię domus Opifices. Erat autem labarum militaris vexilli genus,aliis nobilius, ante Imperatorem gestari, & à Militibus adorari solitum: In eo Christianis temporibus viuificæ Crucis, & salutaris Christi nominis nota ☧ affigebatur, vt in quamplurimis antiquis nummis apud V.C. Fuluium Vrsinum, Horatium à Valle, & plerosque alios insignes viros cernitur. Quod quidem labarum (ita insignitum) fuit à Constantino primũ, in memoriam signi,quod paulo ante deuictum Maxentium futuræ victorię indicium in cælo viderat,institutum,vt tradit Eusebius,à quo id ita in Constãtini vita describitur: Hastile oblongum, erectumque auro vndique obductũ fuit,quod cornu habuit transuersum ad formam Crucis constructum, supra in fastigio ipsius operis corona affixa,lapidibus pretiosis,& auro politè circumtexta: In ea salutaris appellationis Seruatoris nota inscripta, duobus solùm expressa elementis: idest duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera P. in ipso medio literæ X curiosè, & subtiliter inserta) quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt. ]De labaro etiam ita in tripartita historia habetur: Iussit viros eruditos ex auro,& lapidibus pretiosis in vexillum sanctæ Crucis trãsformare signum,quod labarum vocatur; hoc enim signũ bellicum inter alia pretiosius erat: eo quod Imperatorẽ præcedere, & adorari eum à militibus moris esset &c. Huius quoque labari meminit Prudentius ita:

*Christus purpureum gemmanti textus in auro*
*Signabat labarum.*

*Cod. Iust. ti. 18. lib. 12. Cod. Theod. tit. 25 lib. 6 Alciat. in l. unica de Prę po. labor. lib. 12.*

*Euseb. in vita Const. lib. 1. c. 25.*

*Hist. tripar. lib. 1. c. 5.*

*Prud. cõtra Symmach. lib. 2.*

Meminit

Meminit item Sanctus Gregorius Nazianzenus, cum
*Greg. Naz. in Iulianum Ora. prima.* in Iulianum Apostatam, qui illud sustulerat, ita inuehitur: Quin eò quoque audaciæ prorupit, vt aduersus magnum illud vexillum præceps ferretur, quod simul cum Cruce magnificè, & cum insigni pompa Exercitum ducit, in sublime euectum, quod laborum soluendorum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit; principatumque, vt ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenet, &c.] Verum labarum ipsum etiam ante Constantini tempora adhuc Cruce nõ insignitum. Crucis ipsius præ
*Iustin. Mar. in Apolo. ad Antonin. Tertullia. in Apolog. c. 16 Minu. Felix in Octauio.* seferebat imaginem; Crucis enim cornua ex transuersa illa hastula, cui velamen appendi solebat, reddebantur, vt Iustinus Martyr, Tertullianus, Minutius Felix, & plerique alij animaduerterunt. Appositè igitur huius nostræ historiæ Auctor triumphalis Crucis vexillum labari nomine appellat, siquidem in ipso labaro non solum à Christianis, sed Ethnicis quoque Imperatoribus Crucis imago gestari solebat.

5 ABSCONDITVM SEMPER EVANGELIVM CHRISTI
*S. Antonin. to. 1. tit. 7. c. 6. §. 16.* GEREBAT IN PECTORE. Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in vita huius B. Virginis Cæciliæ ad hæc verba: Hoc (inquit) intelligo de pectore mentis, & Euangelij verbis; hæc ille, fortasse ad illud Psalmi
*Psal. 118.* respiciens: In corde meo abscondi eloquia tua: Scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde; & il-
*Prouer. 3. & 7.* lud Prouerb. Præcepta mea cor tuum custodiat: custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi, & legem meam quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabula cordis tui.] Verum si locum hunc de corporeo pectore, & Euangelij volumine intelligere velimus, extant piæ, ac religiosæ huius consuetudinis gestandi Christi Euangelium in pectore in historia Apostolica, quæ nomine Abdiæ Babyloniæ Episcopi edita habetur, exempla; ex quibus, non solum verũ

esse

esse intelligitur, quod ad Rusticum Hieronymus tradit: Ama scientiam Scripturarum,& carnis vitia nõ amabis; sed etiam diuina quædam Euangelici codicis virtus pro castimonia aduersus libidinem cognoscitur. Exemplũ vnum est de Trophima muliere ad lupanar damnata, quæ(vt inquit Abdias)cum veniissent,qui eam continge rent,ponebat Euangelium,quod secum habebat,ad pectus suum, & statim omnes vires perdebant. Alterum exemplum est senis cuiusdam Nicolai, de quo dicitur, quod cum oblitus Euangelij,quod super se erat,ad Meretricem adijsset, videns eum Mulier a se illum reiecit, dicens videre se in eo mysterium magnum; cumque ille obstupefactus cogitaret,quid id esset, recoluit, quod Euangelium secum haberet. Nec solum internas libidinis flammas, sed externa quoque ignis incendia Euangeliũ secum gestantes extinxerunt: Habes de hoc præcipuum(vt alia omittam) exemplum in collectaneis ex historiaEcclesiastica Theodori Lectoris. In actis quoque S.Barnabę Apost.ab Alexãdro monacho cõscriptis,quę habẽtur apud Metaphrastem,eius corpus cũ Euangelio S.Matthęi,manu sua scripto,supra pectus impositio,detecto eius monumento,repertum fuisse narratur; nec mirum, quod supra defuncti Barnabæ pectus impositum Euangelium repertum sit, quippequi illud idem viuẽs ex doctrina Apostolorum (inquit Sigibertus)secum ferre semper solebat, & vbicunque inueniebat infirmos, ponebat illud super eos,& tam fide Barnabæ,quam merito Matthæi omnes sanabantur. Huius demum consuetudinis Euangelium in pectore gestandi, vel ad collum suspendendi meminit Sanctus Ioannes Chrysostomus super illud Matthæi: Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias: Hæc(inquit)phylacteria, quasi custodientia latinè vocabant; sicuti multæ Mulierum modo faciunt, Euangelia collo appendentes. ] Meminit quoque eodem in loco S.Hieronymus, qui hanc consue

*S. Hieronym. ad Rusticũ.*

*Abd. Babil. hist. Apost. lib. 3.*

*Theo. Lect. lib. 1. coll. eccl. Acta S. Barnabæ apud Metaphr. & Sur. to. 3. 11. Iunij.*

*Sigebert. in Chron. anno 489.*

*S. Io. Chrysost. hom. 73 in Matth.*

*S. Hier. l. 4. in Matth.*

tudinem ex Apostolica traditione,& a sacris Virginibus acceptam, vt à sui temporis Mulierculis superstitioſè corruptam,damnare videtur his verbis: Non intelligẽtibus Phariſæis, quod hæc in corde portanda ſint,non in corpore;alioquin & armaria,& arcę habent libros,& notitiam Dei non habent. Hoc apud nos ſuperſtitioſæ Mulierculæ in paruulis Euangelijs, & in Crucis ligno, & iſtiuſmodi rebus,quæ habent quidem zelum Dei,ſed nõ iuxta ſcientiam vſque hodie factitant.] Quod animaduertens S. Thomas non propterea damnari eos ſcribit,qui pietatis, & religionis cauſa, ſed qui vana quadã ſuperſtitione adducti magis ad Scripturæ characteres, quam ad ipſius intelligentiam reſpicientes ſacra Euangelia collo ſuſpendunt, vel geſtant in pectore. Ad cuius ſententiæ corroborationem Frater Sixtus Senenſis huius noſtræ Beatiſſimæ Virginis Cæciliæ exemplum adducit,inquiens: Illi igitur,qui huiuſmodi res, ac verba portant ex Dei fiducia, & Sanctorum reuerentia,nullo modo accuſandi ſunt. Nam & B. Cæciliam legimus codicem Euangelicum ſemper in ſinu geſtaſſe, & Conſtantinum Auguſtum Chriſti clauum in diademate circumtuliſſe, & Apoſtolum Barnabam curaſſe ægros Euangelici ſcripti attactu.] Beatiſsima igitur Virgo Cæcilia religionis,& pietatis cauſa, vel tamquam virginitatis ſuæ munimentum,vel ad fidei teſtimonium, & magiſterium Euangelium Chriſti gerebat in pectore. Ac propterea etiam inter cætera credi poteſt in antiquis ſacris picturis, vt videre eſt, Sanctas Virgines cum Euangelij libro ad pectus depingi.

*S. Tho. 2.2. quæſt. 96. art. 4.*

*Fr. Sixt. Senen. in Biblioth. ſancta lib. 6. annot. 102.*

6 SVBTVS AD CARNEM CILICIO INDVTA. Cilicij vſum antiquitus etiam fęminis familiarem ſæpiſsime inuenies. Vt omittam veteris Teſtamenti exempla,vtebantur cilicio Sancta Theodora Alexandrina, Sancta Euphroſina item Alexandrina Virgo,Sancta Pelagia, San-

*Harum SS. vitas habes apud Surĩ Lipoman.*

cta

cta Melania Romana, & pleræq. aliæ religiosæ, & sanctæ fęminæ, vt ex earum vitis colligitur: Adseruatur adhuc in Lateranensi Basilica S. Mariæ Magdalenæ ciliciũ.

7 ET CANTANTIBVS ORGANIS. Varia genera musicorum instrumentorum nuptiali lætitiæ antiquitus adhibebantur, quæ vno nomine Organa Græcè appellantur. Auson. de cœna nuptiali. *Auson. de cœna nupt.*

*Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicunt,*
*Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos*
*Obloquitur numeris septem discrimina vocum:*
*At parte ex alia biforem dat tibia cantum.*

Et Claudianus in nuptijs Honorij, & Mariæ. *Claudian. in nupt. Hon. & Mar.*

*Tibia pro lituis & pro clangore tubarum*
*Molle lyræ, festumque canant.*

Silius quoque Italicus in epithalamio Stellæ, & Violantillæ varia concentuum, & sonorum genera inducit, qui mos etiam num durat. Talia igitur organa in B. Cęciliæ nuptiis hic describuntur, quibus sonantibus illa soli Domino decantabat, sicut sæpius in sacro eius Officio huius historiæ verbis repetitur: ex quo mos ille in Ecclesia profluxit, vt in eius manibus organa appingantur. *Silius Ital. in epith Stellæ, & Violãt.*

8 BIDVANIS, AC TRIDVANIS IEIVNIIS. De biduanis & triduanis ieiunijs, atque eorum origine ita scribit Rabanus: Biduanum autem morem ieiunij reor indè sumptum, quòd Apostoli ieiunauerunt illo biduo, quo Dominus passus, ac sepultus est: Triduanis ergo ieiunare ab exemplo ductum est Niniuitarum, qui damnatis pristinis vitijs, toto se tribus diebus ieiunio, ac pœnitentiæ contulerunt, & operti saccis Deum ad misericordiam prouocauerunt: hæc Rabanus. De ijsdem ieiunijs meminit etiam Sanctus Io. Chrysostomus his verbis: Non ratione ieiunij, quo enim pacto cum panem, & aquam *Raban. de Instit. cler. lib. 2. c. 26.* *S. Io. Chrysost. lib. 2. de quid. Dei.*

tantum in cibum sumas, idque post biduum, & triduum?] De triduano vero ieiunio baptizandis indicto habetur in actis S. Getulij. De ieiunijs denique, & varia eorum apud Antiquos obseruantia extat libellus Reu. Patris Magistri Alfonsi Ciaconi Ordinis Prædicatorum, viri omni eruditione, variaq; & multiplici rerum cognitione insignis, ac nuper magna iactura literarum, & Literatorum omnium desiderio extincti, cuius familiaritate domesticè vti solebamus. Porrò hic de ieiunijs libellus ab Alfonso ipsius nepote typis excusus est, & Illustrissimo Principi Cynthio Aldobrandino Cardinali Sancti Georgij dicatus.

*Acta S. Getulij apud Sur. tom. 3. 10. Iun.*

9 IN TERTIVM MILLIARIVM AB VRBE. Milliaria à columna quadam in capite Fori posita, quæ Milliarium aureum dicebatur, & non ab ipsis Vrbis mœnibus antiquitus numerari solita ex Plinio plerique colligunt; in qua columna, vt tradit Plutarchus in Galba, viæ omnes Italiæ incisæ terminabantur: Fuitque ab Augusto (vt refert Dio) anno Vrbis DCCXXXII. cum Curator viarum esset, constituta; cuius etiam mentio est apud Suetonium, & Tacitum: Ex quibus etiam colligitur, columnam hanc sub Saturni æde in Foro extitisse. Plutarchus vero refert, C. Gracchum dimenso viarum spatio singulis interuallis columnas lapideas notam milliariorum præseferentes erexisse. Vnde sæpe apud veteres Scriptores legimus pro milliario, primum, aut secundum, & deinceps lapides dici, quod & in sacris martyrologijs, & actis Martyrum frequenter animaduertas. Huiusmodi columnarum ea, quæ primi milliarij in via Appia index erat, ab Imperatoribus Vespasiano, & Nerua restituta, in eiusdem viæ suburbanis ætate nostra effossa est, ac deinde reposita in Capitolio, vbi hodieq; cernitur hoc numero .I. notata cum his inscriptionibus.

*Plin. lib. 3. c. 5. Plutarch. in Galba. Dio hist. lib. 54. Sueton. in Othon. c. 6. Tacit. lib. 1. & 17. hist. Plutarch. in Gracch.*

IMP.

I

IMP. CAESAR
VESPASIANVS AVG.
PONTIF. MAXIM.
TRIB. POTEST. VII.
IMP. XVII. PP. CENSOR
COS. VII. DESIGN. VIII.

IMP. NERVA. CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIBVNICIA
POTESTATE. COS. III. PATER
PATRIAE. REFECIT.

10 VIA, QVÆ APPIA NVNCVPATVR. Appiam viam ab Appio Claudio Cæco Censore, qui illam strauit, appellatam Frontinus, Tullius, Tacitus, Liuius, & plerique alij testantur. Hæc autem via omnium amplissima, & celeberrima fuit, vnde a Statio nobilis Appia appellatur, de qua idem in Surrentino Pollij. *Frontin. de aqueduct. Cic. in orat. pro Milon. Tacit. lib. 2. Liuius 1. dec. lib. 9. Stat. lib. 4. Syl. ad Marcell. & lib. 2. in sur. Pol.*

*quà limite noto*
*Appia longarum teritur regina viarum*

In ea enim multa Deorum fana fuere, inter quæ Martis templum, Bonæ Deæ sacrarium, Honoris, & Virtutis, ac Tempestatis, & Camœnarum Aedes ab antiquis Scriptoribus celebrantur. Fuerunt quoque via Appia præclara nobilium Romanorum monumenta, quorum vestigia adhuc superstant; hinc Cicero: An tu (inquit) egressus Porta Capena cum Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos? In ea demum manalis petra, Mercurij aqua, lucus Egeriæ, & alia multa fuerunt. Porrò si Antiquis Ethnicis fuit Appia via, vel ob eius amplitudinem, vel *Cic. 1. Tusc.*

ob Deo-

ob Deorum templa, splendidaq; Maiorum sepulcra celebris; celebrior multò nobis Christianis est, cũ tot Sanctorum Martyrum cruore irrigata, eorum quoque corporibus ditetur, sacris Cœmeterijs plena, quam gloriosi etiam Apostolorum Principes suis corporibus honorare iampridem voluerunt. In qua etiam Redẽptor noster Christus Beato Petro è Roma paulo ante martyrum egredienti sese obuiam dedit, vt ab Egesippo. B. Ambrosio, ab Auctore historiæ Apostolicæ, quæ nomine Abdiæ Babyloniæ Episcopi circumfertur, & alijs memoriæ proditũ est. Vbi & sacellum hodie extat, loci, in quo Christus apparuit, monumentum, quod vulgo dicitur DOMINE QVO VADIS. Et in Ecclesia S. Sebastiani Christi pedum in marmore tunc impressa vestigia adhuc religiosè asseruantur.

*Egesipp. lib. 3. de excid. Hier. c. 2.*
*S. Ambros. in Auxentium.*
*Abdias Babyl. lib. 1. hist. Apost.*

11 DABIS EIS BENEDICTIONEM MEAM. Per benedictionem hic, aut intelligitur benedictio, quæ voce dabatur instar salutationis ex vetere primorum Christianorũ disciplina, atque instituto, cuius meminisse videtur Tertullianus in libro de Testimon. Animæ, vbi ait: Omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ, & conuersationis sacramentũ, Benedicat te Deus, tam facilè pronuncias, quàm Christiano necesse est. Quò etiã spectat illud Euangelistę: Benedixit illis Simeon; ideſt bona illis precatus est a Domino. Aut posset fortè intelligi (quandoquidem hic de pauperibus agitur, de quibus sibi curam esse dicit Beata Cæcilia) vt dari velit suo nomine pauperibus eisdem aliquid piæ charitatis, & eleemosynæ, quæ solet benedictio a Sanctis Patribus appellari, vt multis posset exemplis probari, sat tamen sit vnum B. Gregorij, qui Theodoro Medico de pecunia pauperibus trãsmissa gratias referens: Præterea (inquit) Excellentiæ vestræ benedictionem ea, qua transmissa est, charitate suscepi.] Est autem vox hæc benedictionis è

*Tertull. de Testim. Animæ c. 1.*
*Luc 2.*
*S. Gregor. lib. 4. Registri 4. ep. 40.*

græca

græca voce λογία translata, quæ in eodem sensu à Patribus vsurpatur.

12 SANCTVM SENEM VRBANVM. Is fuit Vrbanus Primus Romanus Patre Pontiano, qui mortuo Calliſto Papa in eius locum eligitur, & poſtquã multos ad Chriſti fidem conuertiſſet, via Numentana abſciſſa ceruice martyrio demum coronatur, atque via Appia in Cœmeterio Prætextati ſepelitur, vt latius in eius paſſione, quam ſupra poſuimus narratur. Quod autem hic a B. Cæcilia Vrbanus ſenex appelletur, id idem in Vrbani vita, quam ex codibus Baſilicæ S. Petri deſcripſimus, explicatur, cum dicitur: Sanctiſſimus Vrbanus iam ſenex Cathedrã Romanæ Vrbis ſuſcepit.] Et idcirco Almachius Prefectus (vt in eiuſdem paſſione ex Vaticana Bibliotheca deprõpta habetur) ipſum Vrbanum ita affatur: Cum ſis ſenex, mortem putas requié. Et Valerianus Tiburtio Fratri ad quem ſe illum ducturum interroganti (vt infra in hac hiſtoria legitur) reſpondit: Ad magnum virum Vrbanum nomine, in quo eſt aſpectus Angelicus, & veneranda canities.] Non eſt tamen prætereundum, quod alibi eadẽ B. Virgo Cæcilia Valeriano ſponſo dicit, de eodem Vrbano loquens: Eſt ſenior, qui nouit purificare homines.] Senioris enim appellatione (iuxta veterẽ loquendi morem) ipſum Epiſcopum, ſeu Præpoſitum, quaſi Maiorem intelligit. Ita quoque loquutus eſt Tertullianus in Apologetico: Preſident (inquit) probati quique Seniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.] Hinc eſt quod ipſi Sacerdotes græco nomine Presbyteri, quod latinè vertitur Seniores, appellantur. Origenes ad illud Ioſue c. 13. Ieſus erat Presbyter, hoc eſt ſenior: Etiã ante nos (inquit) quidam obſeruantes notarunt in ſcripturis, quia Presbyteri, vel Seniores non ex eo appellantur, q longeuã duxerint vitã, ſed pro maturitate ſenſus, & grauitate vitę veneranda hac appellatione decorẽtur.] Et S. Au-

*Tertull. in Apologet. c. 39.*

*Origen. in Ioſue homil 16.*

S. *Auguſt. lib. 1 quæſt. ſupra Geneſ. tom. 4.*

S. Augustinus hoc idem his verbis declarat: In latina autẽ lingua Presbyter Senior appellatur, apud Græcos autem maximè sicut scriptura loquitur πρεσβύτερος, & νεώτερος dicuntur etiamsi ætates iuuenum comparentur, quod dicimus nos maiorem, atque minorem.]

13 BIS CONFESSOR FACTVS. Confessoris nomen clarè constat hic alio, quam vt communiter hodie solet, sensu accipi; cum enim bis confessor appelletur Vrbanus, Confessoris titulum duplici actu illi iteratum declaratur, quod in his ipsis actis apertè infra demonstratur, dum sanctus Tiburtius de eodem Vrbano loquens dicit: Hunc ego audio iam secundò damnatum;] & in actis S. Vrbani, quæ supra habentur ex Bibliotheca Vaticana, cum Almachij Præfecti verba referuntur: [illegible] nonnè iste est Vrbanus seductor, qui iam semel, & iterum damnatus est? ] De duplici autem, & multiplici S. Vrbani confessione ita etiam in eisdem actis habetur: Patri enim nostro, & in iuuentute Christus viuere fuit, & mori lucrum, multotiens quippè pro eo confessor effectus animã suam pro ouibus eius posuit.] Et in eiusdem Vrbani passione, quæ est in Bibliotheca Basilicæ S. Petri, & supra etiam ponitur, ita legitur: Hic ante Episcopatum probabilis fuit confessor, & post Episcopatum nihilominus semel, & iterum vsque septies pro nomine Saluatoris examinatus est, atque diiudicatus.]Damasus quoque in eius vita dicit: Hic verus confessor extitit temporibus Maximini, & Aphricani Coss.] Confessor enim antiquitus is dicebatur, qui coram Iudice de fide sua interpellatus liberè Christum confessus esset; vel is, qui ob eam confessionem quacunque pœna fuisset affectus, non tamẽ in certamine decessisset: sed & hunc quandoq; Martyrem dictum reperimus, vt patet ex Tertulliano, & S. Cypriano pluribus in locis, vbi etiã consulendæ sunt notæ Pamelij. Huc quoque refertur illud

*Acta S. Vrbani ex Bibliotheca Vaticana.*

*Pass. S. Vrbani ex Bibliotheca S. Petri.*

*Damasus in vita S. Vrbani.*

*Pamel. in not. Tertull. ad Martyr. n. 1. ad Ep. Cypr. 9. n. 2. & Epist. 30. n. 7.*

lud eiusdem Cypriani epist. 16. quam ad Moysen, & Maximum Presbyteros & cæteros Confessores Romanos de eorum cõfessione ita scribit: Beatũ facit prima, & vna confessio; vos totiens confitemini, quotiens rogati, vt de carcere recedatis, carcerem fide, & virtute præeligitis.] Et epist. 33. Aurelius frater noster, illustris adolescens à Domino iam probatus, & à Deo vocatus est in annis adhuc nouellus, sed in virtutis, ac fidei laude proiectus, minor in ætatis suæ indole, sed maior in honore, gemino hic agone certauit, bis confessus, & bis confessionis suæ victoria glorioſus.] Ergo quia bis Sanctus Vrbanus in Iudicium vocatus, Christumque audacter confessus, & pœna etiam aliqua mulctatus fuerat, citra mortem tamen, ideo bis Confessor appellatur. Is quoque modus loquendi sæpe aliàs in actis Martyrum reperitur, & vt cætera omittam, quid simile habetur in Passione Sancti Montani, & sociorum, dum in ea dicitur: Confessor es, tertiò Martyr eris per gladium, & sic impletum est; nam confessus Christum primò in Secretario, secũdò publicè, reclamãte Populo iussus recludi à Collegio suo secundũ ostensionem remansit, & reductus post confessiones duas, tertiò passionem perfecit.]

*S. Cyprian. epist. 16. & 33.*

*Acta S. Montani apud Sur. tom. 1. 24. Febr.*

14 INTRA SEPVLCRA MARTYRVM LATITABAT. Hoc est in sacris Cœmeterijs, & subterraneis cryptis: Habes ergo hic sacra Cœmeteria nõ solũ olim mortuorum corporum sepulcra, sed viuentium quòque fuisse perfugia, ac domicilia; cum enim Tyrànnorum persecutione furente in ipso Ecclesiæ ortu Christiani tot agitarentur procellis, tot concuterentur tormentis, tot denique iniurijs, & cędibus afficerẽtur, vt nulla eis pax, aut requies daretur, abscõdebãt se intra viscera terræ, & in solitudinibus (vt S. Pauli verbis vtar) quibus dignus non erat mundus. In cryptis igitur habitabant, baptizabant, sacraque mysteria celebrabant Sancti Martyres,

*Ad Hebr. 11.*

quibus ipsa Solis luce frui, brutis quoque animantibus concessa, denegabatur: Nec etiam in ipsis terræ penetralibus tuti erant, quandoquidem & in ipsis Cœmeterijs fuerint interdum necati, vt de SS. Stephano, & Xysto Pontificibus legimus, qui in Cœmeterio Callisti gladio animaduersi sunt.

*De Stephano habes in Martyrolog. die 2. Aug. & in eius Actis manuscript.*

*De Xysto in actis S. Laurentij apud Sur. tom. 4. Cypr. ep. 82.*

15 PONENS GENVA SVA IN TERRA. Genua in oratione flectere Dominum Redemptorem nostrũ Iesum Christum consueuisse tradit Sanctus Lucas: Ipse enim (inquit) positis genibus orabat.] Quem imitati Apostoli, vt idem Lucas testatur, Petrus, & Paulus flexis genibus orabant; quorum genuum in duro silice impressa vestigia remansisse, quo tempore ad martyrium ducebantur, Bibliothecarius testatur, quæ vestigia adhuc Romæ in Ecclesia Sanctæ Marię nouæ iuxta Templum Pacis visuntur. Egesippus quòque Apostolorum temporibus vicinus de Iacobo Apostolo Fratre Domini ait flexis genibus pro Populo deprecari solitũ, ita vt in camelorum duritiem transisse genua crederentur. Christus igitur Apostolos, Apostoli autem priscos sanctos Pontifices, & primitiuæ Ecclesiæ Patres hanc orandi formam docuerunt; quapropter in actis Martyrum, & apud Patres innumera geniculationis reperies exempla, licet aliquando etiam stantes, vt in sacris Cœmeterijs figurantur, orarent; vnde stationes dictæ. Ethnicos etiam genu flexos orasse testatur Prudentius.

*Luc. 22.*

*Act. 9. et 20.*

*Bibliothecarius in vita Pauli 1. PP.*

*Egesipp. lib. 5.*

*Prudent. in Apoth.*

*Plantis*
*Herculis aduolui, genua incuruare Dianæ.*

Et Ouidius Claudiam summisso genu precantem facit, dum inquit.

*Ouid. lib. 4. Fastor.*

*Summissoque genu vultus in imagine Diuæ*
*Fixit, & hos edidcrine iacente sonos.*

Vnde Curtius dicit: Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te, vt Deum.] Et Plinius: Regé ado-

*Curt. lib. 8.*

*Plin. lib. 8. 6. 1.*

adorant, genua summittunt, coronas porrigunt.

16 EXPANDIT MANVS SVAS AD CAELVM. Manus attollere, & expãdere in oratione sępe in sacra Scriptura dicitur, vt de ipso Moyse, qui eleuatis manibus orans Israelitico Populo pariebat victorias, passionis Redemptoris nostri typus; ipse enim manibus in Cruce expãsis de morte glorioſum nobis reportauit triumphum. Salomonem quòque flexis genibus, & manibus expansis orasse habes in libro Regum. Dauid etiam exclamat alibi: Expandi manus meas ad te, sicut terra sine aqua tibi.] Hinc Sãctus Ioannes Chrysostomus: Quid enim (inquit) manuum in oratione extensio? Hæ multis sceleribus ministerium exhibent, & propterea iubemus eas extollere, vt orationis ministerium sit eis vinculum nequitiæ, & à malitia separatio, & cũ rapturus, vel oppressurus, vel alterum sis percussurus recorderis, quod has ad Deum pro patronis emissurus es, & per has illud spirituale sacrificium offerre debeas, nec illas confundere, nec actionis prauæ ministerio fiducia priuare, &c.] Ethnici etiam manibus sublimius elatis supplicabant. Vnde Virg.

*Exod. 17.*

*3. Reg. 8. Psal. 142*

*S. Io. Chrys. hom. 79. de orat. tom. 5.*

*Ingemit, & duplices tendens ad sydera palmas*
*Talia voce refert.* Et alibi.
*At Pater Anchises oculos ad sydera lætus*
*Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit.*

*Virg. lib. 1. Æneid.*

*li. 2. Æneid.*

Et alibi.

*Et duplices cum voce manus ad Sydera tendit*
*Omnipotens genitor, &c.*

*li. 9. Æneid.*

Et Ouidius

*ad sydera suplex*
*Cressa manus tollens.*

*Ouid. lib. 8. Motam.*

Attollebant insolenter palmas Ethnici; Christiani verò modestè efferebant; Idcirco Tertullianus modestiam, & humilitatem Christianorum his verbis celebrat: Cum modestia, & humilitate adorantes magis commenda-

*Tertull. de orat. c. 13.*

mus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperatè, ac probè elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto, &c.] Sed de his orandi ritibus fusius agemus in libro nostro de sacris Cœmeterijs Romanis, dum Figuræ expansis manibus stantes, & genuflexæ quoque explicabuntur.

17 PASTOR BONE. Pastorem bonum se ipsum Do-
*Io. 10.* minus noster Iesus Christus appellauit cũ dixit : Ego sũ Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscũt me meę.]
*Matt. 18.* Ipse enim ille est Pastor, qui iuxta Euangelicam para-
*Luc. 15.* bolam, deperditam, atque errantem ouem inuentam proprijs humeris reportauit ad ouile : Hinc frequentissima est pictura in sacris Martyrum cryptis Pastoris humeris gestantis ouiculam, vel hircũ, tamquam peccatoris simbolum, quem Pastorem etiam in sacris vitreis calicibus depingi antiquitus consueuisse tradit Tertullianus.

*Tertullian. de Pudic. c. 7. & 10.*

18 OVIS ARGVMENTOSA. Ita habẽt omnes Codices manuscripti, quos vidi: Ecclesia tamẽ in sacro Officio canit: *quasi apis argumentosa*, & ita quoque habetur in
*Hymnus in Codice S. Cæcilia.* hymno quodam recẽtioribus characteribus apud Passionem hanc in Codice Monasterij S. Cæciliæ in margine superaddito: Eodem etiam modo habetur apud S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum, ac nonnullos alios recentiores. Noluimus tamen Codicem immutare, præsertim cum vox illa *ouis* videatur magis conuenire metaphorę Pastoris, de quo hic. Quod autem hic ouis
*S. Bernard. in vita S. Malachiæ.* argumentosa dicitur à Sancto Bernardo Pastor argumẽtosus appellatur his verbis: Et quãquã oẽs lupi, & oues nullæ, stetit in medio luporum Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oues de lupis.]

19 RENVNTIET DIABOLO, ET POMPIS EIVS, ET IDOLIS EIVS. Antiquissima abrenũciationis formu-

mula in baptismo usurpari solita, quã ex Apostolica traditione fluxisse testatur S. Clemẽs, quæ ita ab eo describitur: Abrenuncio Satanæ & operibus eius, & omnibus, quæ sub ipso sunt.] Cuius etiam abrenunciationis meminit Tertullianus his verbis: Denique vt à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem sed et aliquantò prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius.] Idem libro de spectaculis: Quum (inquit) renuntiasse nos Diabolo, & pompæ, & Angelis eius ore nostro contestamur, quid erit summum, ac pręcipuũ, in quo Diabolus, & pompæ, & Angeli eius cẽseantur, quam Idololatria? &c.] quod idem multis alijs in locis repetit. Origenes etiam: Recordetur (ait) vnusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid renunciauerit Diabolo, non se vsurum pompis eius, neque operibus eius.] Et S. Io: Chrysostomus: Vocis (inquit) illius recorderis, quam, dum sacris institueris, emisisti: Abrenuncio tibi Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo.] Interrogabat enim Sacerdos baptizandum, sicuti & nũc etiam interrogat, si abrenunciaret Satanę, & operibus eius, & ab eodem respondebatur, Abrenuncio. Quando te interrogauit Sacerdos (dicit Sãctus Ambrosius) Abrenũcias Diabolo, & operibus eius? quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias sæculo, & voluptatibus eius? quid respondisti? Abrenuncio; memor esto sermonis tui, & nũquam tibi excidat tuæ series cautionis.] Meminit quoque huius abrenunciationis Dionys. Areopagita de Eccles. hierarch. c. 1. Cyprian. Epist. 7. & in libro de Orat. dominica. B. Seuerus Alexãdrin. in baptismi ritibus. Arnob. super Psalm. 54. & 75. S. Hierony. lib. 1. comment. in Matth. c. 6. Et ad Psal. 128. S. Cyrill. Hierosol. 1. Cathec. mystagog. S. Augustinus

*S. Clemens, lib. 7. Const. Apost. c. 41.*

*Tertull. de coron. Milit. c. 3.*

*Tertull. de Spectac. c. 4.*

*Origen. homil. 12. in Numer.*

*S. Io. Chrysostom. homil 21. ad Pop. Antioc.*

*S. Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 2.*

de

de symbolo lib.2.c.1. lib.3.c.1. & in libro ex dictis Basilij de Spiritu Sancto c.27. Habes demum de hac abrenunciatione passim apud Patres.

20 CREDIS ITA ESSE, AN ADHVC DVBITAS? Similes interrogationes fieri solitas baptizãdis innumeras inuenies in actis Martyrũ, & præcipuè in actis S. Callisti Papæ, dum ipse baptizat Palmatium. In actis S. Marcelli Papæ, dũ Sanctus Apronianus à B. Sisinnio; & Iobia Persarum Regis filia à S. Cyriaco baptizantur. Et in actis S. Sebastiani Martyris, dum S. Policarpus baptizat B. Tranquillinum, & in quamplurimis alijs, in quibus antiquos ritus, & cærimonias in baptismate illis primitiuæ Ecclesiæ temporibus fieri solitas obseruabis, quarum plerasque à Tertulliano in libro de baptismo descriptas inuenies.

*Acta S. Callisti apud Sur. tom. 5. Acta s. Marcelli, & S. Sebastiani apud eundẽ tom. 1. 16. & 20. Ianuarij.*

21 INDVTVS CANDIDIS VESTIMENTIS. Mos antiquissimus vestiẽdi albis vestibus nouiter baptizatos, sic etiã habetur in actis S. Stephani Papæ, ipsum ad fidẽ à se conuersum, & baptizatum Tertullinum adhuc alba veste indutum Presbyterum ordinasse. Et in actis S. Alexandri Papæ, Quirinum albas vestes baptizatis donasse; cuius consuetudinis his versibus meminit Paulinus.

*Acta S. Stephani Papæ apud Suriũ tom. 4. 2. Aug. Acta s. Alexand. Papæ apud eundẽ t. 3. 3. Maÿ.*

*Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos*
*Infantes niueos corpore, corde, habitu.*

S. Paulinus Nolan. ad Seuer. ep. 12.

Albam quoque baptizatorũ vestem his verbis designat B. Dionys. Arcopagita: Assumẽtes autem illum (nempè baptizatũ) Sacerdotes, suique accessus Duci consignant, & vnà cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruã induunt; sicque indutũ rursum ad Pontificem ducunt.] Ad hoc etiam referas illa Clementiani Fortunati carmina de sacro Paschate, quæ & Lactantio à plerisque tribuuntur.

*Dion. Areopag. de Eccl. hierarch. c. 4*

*Clem. Fortunat. ad Felicẽ Episcop. de Pascha.*

Rex

*Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi,*
*Cum puras animas sacra lauacra beant.*
*Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,*
*Atque vetus vitium purgat in amne nouo.*

Alcuinus cum de baptizatis loquitur: Deinde (inquit) albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis, & castitatis vitæ, & angelici splendoris decorem.] Amalarius Fortunatus albarum vestium mysterium Caroli magni hortatu suæ ætatis Archiepiscopos diligenter explanasse tradit; de quibus albis vestibus loquens: Ipsa (ait) vestimenta sunt stolæ albæ, de quibus scribitur in Apocalypsi: Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; singulas modò habent stolas animæ Sanctorum, de sua beata immortalitate gaudentes; & iterum in eodem: Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum; stolis baptismum, palmis triũphum Crucis insinuat, &c.] Rabanus Maurus: Post baptismum autem (inquit) traditur Christiano vestis candida, designans innocentiã, & puritatem christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti vero renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dominus coram Discipulis transfiguratus est, vt diceretur: Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta eius facta sunt candida sicut nix; quo facto splendorem, vt dictum est, resurgentis in futurum figurauit Ecclesiæ. Vtuntur ergo albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis infantiam vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundę generationis gloriæ præferat indumentum.] Ijsdem quòque verbis vtitur B. Iuo Carnotensis Episcopus: Exinde (ait) traditur Christiano vestis candida, vt qui primæ natiuitatis decorem vetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum.] S. Ambrosius demum huius consuetudinis sic meminit:

*Alcuin. de diuin. offic. in sabb. sancti Paschæ.*

*Amalar. Fortunat. de Eccles. offic. lib. 1. c. 19.*

*Apo. 6. & 7.*

*Raban. lib. 1. de instit. cler. c. 29.*

*Matt. 17.*

*B. Iuo ser. de sacram. Neophyt.*

S. *Ambros. lib. de ijs qui initiantur myster.*

Accepisti post hæc vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor lauabis me, & super niuem dealbabor.] Hæc sufficiant de albis baptizatorum vestibus, quæ (vt ex superius positis Patrum auctoritatibus constat) baptizatorum maculas, & peccatorum sordes baptismatis aqua ablutas fuisse, & abiectis operibus tenebrarum induisse eos arma lucis significabant.

*Rom.* 14.

22 ISTAS CORONAS IMMACVLATO CORDE, ET MVNDO CORPORE CVSTODITE, QVIA DE PARADISO DEI EAS AD VOS ATTVLI. Hæc ea sũt verba, quæ (vt supra diximus) ex hac ipsa historia desumpta refert S. Aldhelmus, siue Adhelmus Occidentaliũ Saxonũ Episcopus in libello, seu epistola, quã de Virginitatis laudibus ad sacras Virgines scripsit, ibi enim Beatã hãc Virginem Cæciliam his verbis celebrat: Quomodo Cæcilia Virgo Sacratissima indulta iugalitatis consortia, ac pacta Proci sponsalia obtentu castitatis refutans, velut purgamenta laudabilis spiritus feruore contempserit, despexerit, respuerit; quæ licet organicis, quinquagenis, & terquinis sonorũ vocibus concreparet harmonia, ac si letiferos Syrenarum concentus, cum inexpertos quosque ad vitæ pericula pellexerint, sub prætextu integritatis surdis auribus auscultabat. Quamobrem Procum proprium, & futurum (si Virginitatis fortuna pateretur) Leuirum à superstitiosa delubrorum cultura conuertens, baptismatis fonte renatos visibiliter Angelicis perfrui conspectibus fecit, quibus Cœlicola ab astris destinatus candidis, ac purpureis contexta serta floribus obtulit: Istas (inquiens) coronas immaculato, & mundo corpore custodite, quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli.] Hæc Adhelmus, cuius vitæ epitomẽ

*S. Adhelm. de Laud. Virg. c.* 23.

habes

habes apud Surium, eiusdemq; meminit etiam Beda, de quo item sacra Martyrologia sub octauo calendas Iunij. Floruit enim circa tempora Sergij Primi Papæ, a quo Romam accitum, & honorificè susceptum in eius vita narratur. Hæc ideo diximus, vt huius nostræ historiæ antiquitatem cognoscas, cum sanctum hunc virum ipsius verbis suum, quod supra posuimus, de Sancta Cæcilia elogium contexisse appareat. Sed si antiquiora tempora expetas, longè ante Adhelmi æuum de his quoque Angelicis coronis ita habes in Ambrosiana missa: Deus cui Beata Cæcilia ita deuotione placuit castitatis, vt coniugem suum Valerianum, affinemq; Tiburtium tibi fecerit consecrari. Nam & Angelo deferente micantium odoriferas florum coronas, palmam martyrij perceperunt: Tribue quæsumus, vt ea intercedente pro nobis beneficia tui muneris percipere mereamur.] Et paulo infra in præfatione: Testis est Valeriani coniugis, & Tiburtij prouocata confessio, quos Angelica manu odoriferis floribus coronasti.] Quod autem infra Valerianus Tiburtio fratri suo de his loquens coronis dicit: CVIVS IN ROSIS SANGVIS FLORESCIT, ET IN LILIIS, CVIVS CORPVS ALBESCIT:] Simile quid habes apud S. Cyprianum, qui dum de Martyrij corona agit, hæc verba subiungit: O Beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris glorioſus Martyrum sanguis illustrat; erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea: Floribus eius nec lilia, nec rosæ desunt. Certent nunc singuli ad vtriusque honoris amplissimam dignitatem, vt accipiant coronas, vel de opere candidas, vel de passione purpureas; In cælestibus castris, & pax, & acies habent flores suos, quibus Miles Christi ob gloriam coronetur.]

*Sur. tom. 3. 25. Maij Beda hist. Angl. lib. 5. c. 19.*

*Ambrosiana missa apud Pamel. Liturg. to. 1.*

*S. Cyprianus. ep. 9.*

23 QVAS ARANEAE TEXVNT, ET AVES

STERCORANT, IN QVORVM CAPITIBVS SOLENT SIBI CICONIAE NIDOS INSTRVERE. *Tertull. in Apolog. c. 12.* Ita quoque loquutus eſt Tertullianus in Apologetico: Igitur ſi Statuas, & Imagines frigidas mortuorum ſuorũ ſimillimas non adoramus, quas milui, & mures, & araneæ intelligunt, nonnè laudem magis, quam pœnam merebatur repudium agniti erroris? ] *Minutius Felix in Octauio.* Minutius etiam Felix in Octauio: Quanta (inquit) de Dijs veſtris animalia muta naturaliter iudicant; mures, hirundines, milui non ſentire eos ſciunt, norunt; inculcant, inſident, ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant: araneæ vero faciem eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt.]

24 QVOS DAMNATICII FACIVNT. Hæc & quæ infra dicuntur de Idolorum vanitate alludunt ad illud *Pſ. 113.* Pſalm: Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, oculos habent, & nõ videbunt, aures habent, & non audient, neque eſt ſpiritus in ore ipſorum &c.] Quod autem ad materiæ, ex qua conficiebantur, vilipendium dicitur eſſe opera damnatorum, id etiam innuere videtur Sanctus *S. Io. Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. ad Timot.* Ioannes Chryſoſtomus, cum dicit: Nempe illud aurum non metallum eſt, cuiuſmodi damnatorum effoderunt manus.] Huc etiam referri poſſunt, quæ in hanc ſententiam habentur ſap. c. 13. & Iſa. c. 44.

25 NAM AD OMNE METALLVM PRO CRIMINIBVS DAMNATI MITTVNTVR. Hinc Ter- *Tert. Apolog. c. 12.* tullianus dixit: Ad beſtias impellimur, certè quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis. Ignibus vrimur: hoc & illi a prima quidem maſſa. In metalla damnamur, inde cenſentur Dij veſtri.] Præterea multos honeſti ordi- *Sueton. in Calig c. 27.* nis viros deformatos prius ſtigmatum notis ad metalla damnatos a Caligula refert Suetonius. De hac pœna mentio frequens eſt apud Vlpianum, Marcerium, Martianum.

tianum, Calliſtratum, Hermogenianum, Paulum, Modeſtinum, & alios Iuriſconſultos in titulo de pœnis : Vlpianus autem de iure damnandi in metallum, & de differentia inter damnatos in metallum, & damnatos in opus metalli ita loquitur; Præfecto planè Vrbi ſpecialiter competere ius in metallum damnandi ex Epiſtola Diui Seueri ad Fabium Cilonem exprimitur. Inter eos autem, qui in metallum, & eos qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis tantum eſt, quod qui in metallum damnantur, grauioribus vinculis premuntur, qui in opus metalli, leuioribus: hæc Vlpianus. Demum hæc metalli pœna a Iuſtiniano Imperatore inter capitalia iudicia connumeratur.

*l. 9. 10. 17. 23. 28. 36. 38. ff. de pœnis.*

*Vlpian l. 8. ff. de pœni.*

*Iuſtin. §. 1. verſ. capitalia. Inſtit. de publ. Iudic.*

26 ET DETERIORA MAGIS, QVAM HOMINES MORTVI. Hæc ex illo Sap. deſumpta videntur: Melior eſt enim ipſe his, quos colit, quia ipſe quidem vixit; illi autem nunquam: de quo vide S. Cyprianum de exhort. Martyr. c. 1.

*Sap. 15.*

27 LATEBRAM SVI PRAECAVERE FOVENDO. In cryptis videlicet ſe abſcondendo; hunc etiam loquendi modum inuenies in actis S. Sebaſtiani, cum in eis dicitur: Sed quia tutus nullus inueniri poterat locus ad latebram confouendam, morabantur omnes apud Caſtulum quendam Chriſtianum Zetarium Palatij. ]

*Acta S. Sebaſtiani apud Sur. to. 1. die. 20. Ianuarij.*

28 EX SE IPSO ANTEQVAM ISTA OMNIA FACERET GENVIT FILIVM. Altiſsimum Trinitatis myſterium ex ore virginali egregiè panditur, & quidem cum re, tum verbis congruè ad theologicam doctrinam; Filius enim Deus ex Deo propriè ex Patre generari dicitur vnde in Pſal. Filius meus es tu : ego hodie genui te] & alibi. Ex utero ante Luciferũ genui te; ] & plura ſimilia habes apud Tertullianũ aduerſus Prax. c. 7. Quod autem

*Pſa. 2. & 109.*

sequitur. ET PROTVLIT EX VIRTVTE SVA SPIRITVM SANCTVM. Etiamsi producere communius nunc, quam proferre dicatur, non abhorret tamen pro ferendi vox à more loquendi veteris Ecclesiæ; Tertullianus in Apologetico: Hunc ex Deo prolatum, & prolatione generatum; libro quoq; aduersus Praxean Filium prolatum dicit a Patre, & prolationem προβολὴν à Græcis appellari. Id vero quod dicitur Patrem ex virtute sua protulisse Spiritum Sanctum, non intelligas, ideo non procedere à Filio, qui est error Græcorum; sed quod Catholici Patres consentiunt Spiritum Sanctum procedere à Patre mediante Filio, id enim est EX VIRTVTE SVA, ex illa quippe virtute, de qua scriptura: Portans omnia verbo virtutis suæ. FILIVM VT FACERET OMNIA: Hoc est quod Ioannes dicit: Omnia per ipsum facta sunt, & Psalm. Verbo Domini cæli firmati sunt. SPIRITVM VT VIVIFICARET VNIVERSA. Hoc est quod proximè citatus Psalm. & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vnde Christus in Euangelio: Spiritus est, qui viuificat.

*Tertull. in Apolo. c. 21.*

*Tertull aduers. Prax. cap. 8.*

*Hebr. 1.*

*Ioan. c. 1.*

*Psal. 32.*

*Ioan. 6.*

29 EX PATRE PROCEDENS SPIRITVS SANCTVS. Ne mireris Filium reticeri; similiter enim loquutus videtur Christus Dominus: Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.] Etsi in voce veritatis Filium subintelligi Doctores quidam acutè interpretentur; Notandum autem est non consequi, vbi subticetur vna persona, vt alia intelligatur excluſa, alioquin multoties errandi daretur occasio, vt cum Dominus ait: Ego, ac Pater vnum sumus. De die illo nemo scit, nisi Pater. Misit Deus Spiritum Filij sui.] In his, & similibus modis loquendi considerandum est, an quod de vna persona dicitur, possit alij conuenire seruata distinctione, & proprietatibus earundem personarum; tunc enim non est necesse, quòd vna tacita alia intelligatur excluſa; ita igitur hoc in loco etiamsi dica-

*Ioan. 15.*

*Ioan. 10.*

*Matt. 24.*

*Galat. 4.*

tur

tur SPIRITVS EX PATRE PROCEDENS, non ideo non ex Filio etiam procedere intelligendum eſt. Hoc Græci non conſiderantes, cum viderent apud Sanctos plerumq; & in Concilijs dici Spiritum ex Patre procedentem, in eum errorem lapſi ſunt, vt non procedere etiam ex Filio aſſererent; vbi animaduertendum, antequam hæreſes contra hanc veritatem ſuborirentur, Sanctos Patres propter rationem, quam diximus, ſolitos plerumq; ita ſimpliciter loqui, quod ipſum etiam à Sacris Concilijs obſeruatum, quæ non ante in ſymbolo addiderunt, Filioque procedit, quam falſa contra hanc veritatem opinio exoriretur negantium Spiritum Sãctum etiam a Filio procedere, quo tempore & id in ſymbolo additum eſt, & præceptum per Eccleſias decantari. Qua propter cum hic dicatur EX PATRE PROCEDENS, nec ſubiuncta ſit particula FILIOQVE, licet vel hinc conijcias huius noſtræ hiſtoriæ antiquitatem.

30 TYROCINII TEMPVS. Quia videlicet Valerianus adhuc in albis, & neofitus erat; quemadmodum enim Martyres Chriſti milites appellantur, ita qui candidati, & noui in fide erant tyrones, quaſi nouitij in caſtris dicebantur, donec per confirmationis Sacramentum veri Chriſti milites efficerentur, vt infra de Sancto Tiburtio. Itaquoquè in ſæpe allegatis actis S. Sebaſtiani Sancti Martyres Marcus, & Marcellianus Nicoſtrato nouiter conuerſo loquuntur: O quam incomparabilis præconij facinus, ò quam in imitabile virtutis exemplum; Non dum vos ad Chriſtum ſacri baptiſmatis vnda perduxit, non dũ per tyrocinij rudimenta militaria ſaltem ſigna ſumpſiſtis; & iam pro vero Rege arma corripitis? & eius milites a vinculis ferreis ſoluentes vos ipſos intrepidos optatis pro occidendis morti offerri?] Tertullianus etiam in libro de Pœnitentia, de ſacro baptiſmate, & nouiter ad fidem conuerſis, & catechumenis loquens, quos Auditores, &

*Acta S. Sebaſtiani apud Sur. to. primo die 20. Ianuar.*

*Tertull. de Pœnit. c. 6.*

Audi-

Audientes vocat, ſicuti etiam a B. Cypriano appellantur, hæc ſubdit verba: Nemo ergo ſibi aduletur, quia inter Auditorum tyrocinia deputatur &c.

*S. Cyprian. epiſt. 13. & 24.*

31 AD SEPVLCRA PERGEBAT, ET TRIDVANIS, ET QVATRIDVANIS, ATQVE FOETENTIBVS MORTVIS. Tres tantum mortuos Dominum Redemptorem noſtrum ſuſcitaſſe legimus in Euangelio, videlicet filium Archiſynagogi, filium Viduæ, & Lazarum quatriduanum; Plures tamen alios a Chriſto ſuſcitatos tradunt Patres, ſed de tribus tantum fieri mentionem ab Euangeliſtis ob certum myſterium. Tres autem mortuos (dicit S. Auguſtinus) inuenimus ſuſcitatos viſibiliter, quot autem mortuos ſuſcitauit inuiſibiliter quis nouit? non enim omnia, quæ fecit, ſcripta ſunt, Ioānes hoc dicit: Multa alia fecit Ieſus, quæ ſi ſcripta eſſent, arbitror tamen totum mundum non poſſe libros capere, ] Multi ergo (concludit S. Auguſtinus) alibi ſine dubio ſuſcitati, ſed non tres fruſtra commemorati. ] Quare autē de tribus tantum mortuis a Chriſto ſuſcitatis fiat mentio in Sacra Scriptura, declarat idem Auguſtin. vbi ſupra, & de ſermone Domini in monte lib. 1. tom. 4.

*Marc. 5. Luc. 7. Ioan. 11.*

*S. Auguſt. ſerm. 44 in Euang. Io. tom. 10.*

*Io. 20. 21.*

32 QVOADVSQVE ALBAS DEPONERET. Iubet Sanctus Vrbanus Tiburtium ſecum manere, donec deponeret albas, & retinet eum apud ſe per ſeptem dies, quo tyrocinij tempore expleto in militem Chriſti conſecrauit. Poſt ſeptimum quoque diem in ſolenni paſchali baptiſmate baptizati albis antiquitus exuebantur, de qua re ita Rabanus: Deinde ſeptem dies in memoriam eiuſdem Dominicæ Reſurrectionis congrua feſtiuitate ſubiungens, quos ſeptem dies albas vocitamus, propter eos, qui in ſancta nocte baptizati albis per totam hebdomadam vtuntur veſtibus: & tunc maxime, dum alba tolluntur a baptizatis veſtimenta, per manus impoſitionem

*Rabanus Maur. de Inſtit. cler. lib. 2. c. 39.*

a Pon-

a Pontifice Spiritum ſanctum accipere conueniens eſt, qui in baptiſmo omnium receperunt remiſſionem peccatorū, & per ſeptem dies in angelico caſtitatis habitu, & luminibus cæleſtis claritatis ſanctis aſſiſtere ſacrificijs ſolent.] De his etiam conſule Amalar. Fortunat. lib. 1. de Eccleſiaſtic. Offic. c. 29. B. Iuonem. in ſerm. in die Paſchatis.

33 CHRISTO MILITEM CONSECRAVIT. Poſt ſeptem dies à baptiſmo S. Vrbanus Papa Tiburtium veſtimentis albis exuit, & Chriſto militem conſecrauit; ideſt confirmationis Sacramento roborauit. Poſt enim ſeptimum diem, vt refert Rabanus loco ſupracitato, & tradit etiam Alcuinus, depoſitis albis veſtimentis nouiter baptizati per manuum impoſitionem confirmabantur. Tunc etenim Sanctus Tiburtius, tyrocinij veſtibus dimiſſis, eſt verus Chriſti miles effectus, & ad pugnam roboratus: Quia (inquit S. Melchiades Papa) in hoc mundo victuris inter inuiſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam.] Hinc Tertullianus libro de Præſcript. aduerſus Hæretic. vbi Dæmonem chriſtiana Sacramenta in multis æmulari oſtendit, comparat ſacramento confirmationis ritum, quem verbis illius exprimit: ſignat illic in frontibus milites ſuos.] Idcirco in Confirmatione adhibentur Patrini, & Suſceptores: Nam ſi qui gladiatoriam (vt dicitur in Catechiſmo Concilij Tridentini ad Parochos) dimicationem ſubeant, alicuius indigent, cuius arte, & conſilio doceantur, qui ictibus, ac petitionibus, ſaluis ipſis, conficere Aduerſarium poſſint; quanto magis fideles cum Sacramento confirmationis, quaſi firmiſſimis armis tecti, ac muniti in ſpiritale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, deſcendunt, Ducis, ac Monitoris indigebunt?] Ex his igitur clarè conſtat per confirmationis Sacramentum Chriſtianum verum Chriſti militem effici, vt hic de Sancto Tiburtio.

*Alcuinus de Eccleſ. offic. c. de ſeptuag.*

*S. Melchiades, PP in Epiſt. ad Epiſc. Hiſpā. & diſt. 5. c. Spiritus Sanctus.*

*Tertull. de præſcript. ad uerſ. hæretic. c. 40.*

*Catechiſm. Conc. Trid. ad Parochos*

TVR-

34 TVRCIVS ALMACHIVS. De hoc eodem Præfecto mentio habetur in paſſione Sancti Vrbani, vbi dicitur, quod cum Alexander Imperator clemens eſſet in Chriſtianos, ipſe Almachius Vrbis Præfectus in eos tyrannidem exercebat. Erat hic ex Turciorum familia, cuius non ſemel mentio eſt in antiquis monumentis : extat antiquum Edictum in lapide inciſum in viridario Columnenſium ad SS. Apoſtolos, cuius tale eſt initium

EX. AVCTORITATE
TVRCI. APRONIANI. V. C.
PRAEFECTI. VRBIS.

Item alia baſis in ædibus Porcariorum, in qua tres Turcij Pater, Filius, & Nepos varijs honoribus illuſtres ita memorantur.

ASTERII
L. TVRCIO. APRONIANO. V. C
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBI. NEPOTI.
L. TVRCI. SECVNDI. C. V. CONSVLIS
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT

CVRANTIBVS. FLAVIO SPE. V. P. ET GONDONIO. TAVRO. IVN.
POST. AMANTI. ET ALBINI. COS.

Horum igitur Turciorũ, de quibus in hac inſcriptione, linea per ætates ſingulorum retroacta ab anno poſt conſulatum Amanti, & Albini, qui fuit ſub Conſtantio Imperatore

ratore (quo tempore hæc baſis, vt in ea legitur conſtructa eſt) facilè connecti poteſt cum Alexandri temporibus, quo imperante fuit hic Turcius Almachius. Fani etiam Fortunæ in antiqua porta, quam ab Auguſto primum erectam, in honorem Conſtantini Poſteri in arcum triumphalem verterunt, nomen inciſum eſt L. Turcij ſecundi Aſterij, quem propterea ſub Conſtantino vixiſſe colligitur; inſcriptio autem talis eſt. CVRANTE. L. TVRCIO SECVNDO. APRONIANI. PRAEF. VRB. FIL. ASTERIO. CORR. FLAM. ET PICENI. Martyrologium Romanum nono Kal. Iulij meminit Turci Præfecti, cuius iuſſu Sancto Felici Presbytero os contuſum eſt, qui ſub Valeriano videtur floruiſſe, vt ex eius actis apparet. Intra hæc etiam tempora a nobis deſignata intrat Præfectura Turci Apollonij Valeriani, ad quem in actis S. Laurentij extant literæ Decij Imperatoris. Habes ergo Turciam hanc familiam non longè a temporibus Alexandri, & Beatæ noſtræ Virginis Cæciliæ pluribus Præfecturis inſignem.

*Apud Surium fol. 7.*

*Martyr. Ro. 9. Cal. Iulij.*

*Acta S. Felicis apud Sur. tom. 4. die 3. Iulij.*

35 VRBIS PRAEFECTVS. Quæ, & quanta fuerit Præfecti Vrbi dignitas, auctoritas, & poteſtas ſub Imperatoribus, Valentiniani, Valentis, & Gratiani Imperatorum ad Rufinũ reſcripta declarant: Præfectura (inquiunt) Vrbis cunctis, quæ intra Vrbem ſunt, antecellat dignitatibus, & poteſtatibus.] De officio autem Præfecti Vrbi habemus rubricas in Codice, & in Digeſtis; Ad eum enim inter cætera cauſarum ciuilium, & criminalium, vt ſcribit Dio, ſpectabat cognitio: Hinc Vlpianus: omnia (inquit) crimina Præfectura Vrbi ſibi vindicauit.] Nil mirum igitur ſi Chriſtiani, qui tanquam criminoſi habebantur, coram Præfectis Vrbi ſiſti conſueuerint, ab eiſque iudicari.

*l 3. C. de off. Præfect. Vrbi.*

*Dio lib. 25.*

*Vlpian. l. 1. ff. de off. Præfect. Vrbi.*

36 INHVMATA IVBEBAT EORVM CORPORA DERELINQVI. Apud diuinam etiam Scripturam Mortuorum corpora ſepultura carere in malis numeratur,
*Hier. 14.* hinc Hierem. In gladio, & fame conſumentur Prophetæ illi,& Populi, quibus prophetant, erunt proiecti in vijs
*Hier. 19.* præ fame,& gladio, & non erit, qui ſepeliat eos.] & alibi : Et dabo cadauera eorum eſcam volatilibus cæli,& be-
*4. Reg. 9.* ſtijs Terræ.] & in libro Regum: Iezabel quòque comedent canes in agro Iezrael, nec erit,qui ſepeliat eã.] Apud Ethnicos verò infelices exiſtimabantur ij, quorum corpora poſt mortem inhumata relinquerentur : Creditum eſt
*Tertull. de Anima. c. 56.* (inquit Tertullianus) inſepultos non ante ad Inferos redigi,quam iuſta perceperint, ſecundum Homericum Patroclum funus in ſomnis de Achille flagitantem,quod nõ aliàs adire portas Inferum poſſet arcentibus eum longè
*Virg lib. 6. aneid.* animabus ſepultorum.] Quod idem apud Virg. ille innuit filio dicens.

*Hæc omnis,quam cernis, inops, inhumataq; turba eſt :*
*Portitor ille, Charon. Hi, quos vehit vnda, ſepulti :*
*Nec ripas datur horrendas,nec rauca fluenta*
*Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.*

Et propterea inhumata corpora Chriſtianorum relinqui iubebant ſuperſtitioſi Gentiles.

37 VT PRETIOSAS FACERENT SEPVLTVRAS. Cum ergo Martyrum corpora inhumata a Gentilibus relinquerentur, maxima contra erat priſcis Chri-
*Acta SS. Hermili &c. Sur. to. 1. die 13. Ianuarij.* ſtianis cura in illis conquirendis, & honeſtæ ſepulturæ tradendis; ita vt etiam corpora, quæ in mare, vel flumen
*Acta S Bonifatij Sur. tom. 3. 5. Iunij.* fuiſſent iactata, piſcari ſolerent, vt cõſtat ex actis SS. Martyrum Hermili,& Stratonici; immo illa etiam emere con-
*Acta SS. Ionæ &c. Sur. tom. 2. 29. Mart.* ſueuerunt, quemadmodum S. Bonifatij Martyris corpus quingentis aureis redemptum eius acta teſtantur; Ita etiã SS. Ionæ, Barachiſij, & quamplurium aliorum Martyrũ corpora mercatus eſt vir prius Abdiſſitas. Et demum habemus

bemus in actis s. Laurentij, B. Iustinum Presbyterum præmia Militibus pro SS. Martyrum corporibus conquirendis promisisse. Hinc est quod Sanctus Cyprianus, corpora (inquit) Martyrum, si non sepeliantur grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus.] & alibi dicit: Corporibus etiam omnium, qui etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propensior.] Nimis quidem longum esset illorum Sanctorum, nec nõ religiosarum Fœminarum nomina, quorum sedula fuit in Martyrum sepulturis cura, in eisq; præcipue laborarunt, enarrare; ea tamen omnia, vt ex purissimis Sanctorum actis, & Patrum testimonijs accepimus, vnà cum cæremonijs ab ipsis Ecclesiæ cunabulis in sepulturis mortuorum vsitatis in libro nostro de Sacris Cœmeterijs, fauente Deo, explicabimus.

*Acta S. Laurentij Sur. tom. 4. 10. Aug. S. Cyprian. epist. 3. & 17.*

38 QVI AVTEM NVNC SEMINANT LACHRYMAS TEMPORALES, IN ILLA VITA GAVDIA SVNT SEMPITERNA MESSVRI. Hæc desumpta videntur ex illo Psalm. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent: euntes ibant, & flebãt mittentes semina sua; venientes autem venient cũ exultatione portantes manipulos suos.] Et quidem cum superius Martyres, & Sancti omnes ijs, qui hyberno tempore seminant, & terram colunt, & laborant, vt futurum percipiant fructum, fuerint collati; pulchra hæc est, & elegans prioris comparationis ex Sacra Scriptura conclusio. Haud dissimile hoc est ab eo, quod ad Moysen, & Maximum, & cæteros Confessores Romanos scribit Sanctus Cyprianus; & tradit etiam in libro de exhortatione Martyrum; quibus in locis simili ferè vtitur similitudine; & eundem Scripturæ locum adducit ad Sanctorum Martyrum tristitiam conflictationis, & retributionis lætitiam declarandam.

*Psl. 125.*

*S. Cyprian. epist. 10. & & in libro de exhort. Martyr. cap. vlt.*

39 INVICTISSIMI PRINCIPES. Inuicti, & Inuictissimi epitheta Cæsarum titulis addi gliscens Veterũ adulatio excogitauit Sueton. in Tiberio censuisse quendam dicit inter cætera, vt inuictus cognominaretur. Commodum id sibi cognomen adscripsisse in literis ad Senatum Dio testatur; Constantinum quòque hoc titulo Prudentius exornat.

*Suet. in Tiberio c. 17. Dio. in Cõmodo. Prudent. li. 1. contra Symmach.*

*Hoc signo inuictus transmissis alpibus vltor.*
*Seruitium soluit miserabile Constantinus.*

At à Claudio Iuliano Cos. apud Iulium Capitolinum in epistola, quam Pubieno, & Balbino Augustis scribit, Domini Sanctissimi, & Inuictissimi Augusti appellantur, quod & alibi reperies. Inantiquis denique lapidibus Inuictos, Victores, Victoriosissimos sæpe legimus, vt in libro antiquarum inscriptionum Europæ videre licet.

*Iul. Capit. in Maximo & Balbino.*

40 IVSSIT EVM FVSTIBVS CAEDI. Græca exemplaria Metaphrast. habent: Virgis cædi. Frequentissima porrò est in actis Martyrum fustium, & virgarum supplicij mentio; per hoc enim fere semper glorioti Martyres confessionis eorum (vt S. Cypriani verbis vtar) religiosa primordia initiabant. Fustes, & virgæ a Sancto Martyre Philea apud Eusebium inter innumeros, & diuersos Martyrum cruciatus connũmerantur: Cum libera (inquit) potestas omnibus permissa esset, contumelias, & pœnas Martyribus pro arbitratu inferendi; hi fustibus, illi virgis, alij flagellis, nonnulli loris, multi funibus eos perculerunt.] Quod ad fustes attinet, de hoc supplicij genere extant Imp. Seueri, & Antonini, & Gordiani, Vlpiani, Macerij, Calliistrati, aliorumque veterum Iurisconsultorum leges; extat Seueri, & Antonini rescriptum, quo Decuriones, eorumq; filij fustibus castigari prohibentur; Plurimi igitur Martyres fustibus vsque ad ipsam necem cæsi sunt, inter quos S. Sebastianus, qui tandiu fustibus cæsus est, quoad spiritum exhalauit. Fustibus etiam

*S. Cyprian. epist. 77.*

*Euseb. hist. Eccl. lib. 8. cap. 11.*

*Tit. C. ex quib caus. infam. irro. Tit. de Pœnis in ff. l. Decuriones C. e'c quib. causis infam. irrog.*

cæsus

cæsus fuit S. Iulianus, & quamplurimi alij Martyres. Virgarum vero meminit Prudentius, dum inquit.

*Liberam succincta ferro pestis vrgebat fidem*
*Illa virgas, & secures, & bisulcas vngulas*
*Vltro fortis expetebat Christi amore interrita,*

*Prudēt. in hymno SS. Hermyterij, & Chelidonij.*

Vulgare satis apud Romanos erat virgarum supplicium, sed tanta tamen ignominia habitum, vt legè Portia, ne Romanum Hominem virgis cædi liceret, sancitum fuerit. Portia lex (inquit Cicero) virgas ab omnium Romanorum corpore amouit.] Hinc Caius Sempronius Gracchus in oratione, quam de legibus promulgatis habuit apud Agellium, M. Marium, & quoldam ex Municipijs Italicis honestos viros à Magistratibus Romanis per iniuriam cæsos conqueritur, & Cicero dum contra Verrem inuehitur in ipsius odium, atque detestationem apud Ciues Romanos maxima cum emphasi ira deplorat: Cædebatur virgis in foro Messanæ Ciuis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox illius miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc; Ciuis Romanus sum,] & paulo infra legis Portiæ, & Semproniæ mentionem faciens exclamat: O nomen dulce libertatis, ò ius eximium nostræ Ciuitatis, ò lex Portia, legesque Semproniæ.] Porrò ne dum Romæ natos Ciues sed & ascriptos quòq; in Ciuitatem virgis cædi nefas erat, quapropter M. Marcellus Consul Nouocomensem quendã huiusmodi supplicio plecti curauit in Cæsaris cõtumeliam, a quo erant Nouocomenses, vt refert Suetonius, Ciuitati donati; & ideo iustè conqueritur Sanctus Paulus, cum iussu Philippensium Magistratuum virgis cæsus fuisset, cum inquit: Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos &c.] Diuersa autem fuerunt virgarum genera, quibus Rei cædebantur; Virgæ enim sanguineæ, qua Parricidæ mulctabantur meminit Modestinus Iureconsultus; Milites præterea Romani vitibus, extranei verò virgis in castris cædebantut; sic enim distinguit Lucius

*Cic. 5 Verr. pro Rabirio.*

*Agell. lib. 10. c. 3.*

*Cic. act. in Verr. 7.*

*Sueton. in Iulio.*

*Act. 16.*

*Modestin. l. 9. ff. ad l. Pomp. de Parricid.*

*Lucius Florus in epitom. lib. 57. Tacit. li. 1. Plin. li. 14. cap. 1. Iuuenal. Satyr. 8. Plaut. in Asin. act. 2. & 3. & in milite glorios.*

cius Florus de Scipione inferiore loquens ; Quem militem (inquit) extra ordinem deprehendit; si Romanus esset, vitibus; si extraneus, virgis cæcidit.] Ac propterea Plinius vitem dixit in delictis pœnam honorare; hinc Romani Centuriones vitem gestabant ad Milites in officio continendos, vt ex Tacito, Plinio, Iuuenali, & alijs constat. De virgis vlmeis, quibus Serui cædebantur, frequens est mentio apud Plautum; de virgis è malo punica habes in actis SS. Ionæ, & Barachisij; de virgis fraxineis in actis S. Alexandri Martyris; de virgis querneis in actis S. Acatij Centurionis, & tandem de saliceis virgis meminit Prudentius in hymno S. Romani Martyr.

*Acta SS. Ionæ &c. Sur. tom. 2. 29. Martij. Acta S. Alexandri. Sur. tom. 3. 13. Maij. Acta S. Acatij Sur. tom. 3. die 8. Maij.*

41 VOX PRAECONIA SVPER EVM CLAMABAT DICENS, DEOS, DEASQVE BLASPHEMARE NOLI. De ijs præconijs vocibus in Reorum, & Peierantium animaduersionibus extant Gordiani Imperatoris, & Vlpiani leges. Solebant enim Præcones in ipsis Reorum tormentis supplicij causam elogio ali quo pronunciare, vnde Spartianus Seuerum refert in proconsulari Africæ legatione plebeium quendam suũ olim contubernalem, qui eum amplexus fuerat, fustibus cædi iussisse sub hoc Præconis elogio : LEGATVM POPVLI ROMANI HOMO PLEBEIVS TEMERE AMPLECTI NOLI; Alexandrum quòque Seuerum Imperatorem quendam fumi venditorem sub Præconia voce : FVMO PVNITVR, QVI VENDIDIT FVMVM: necari iussisse tradit Lampridius; similes ergo præconias voces in Martyrum actis sæpe reperies, vt de Sancta Agnete scribit Sanctus Ambrosius; iussit (inquit) ad Lupanar duci sub voce Præconis dicente: AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM DIIS BLASPHEMIAM INFERENTEM SCORTVM LVPANARIBVS DATAM. Et in actis S. Laurentij SS. Abdon, & Sennen plumbatis cædi iubentur sub Præconis voce: DEOS BLASPHEMARE NO-

*Gordian. Imp. in l. fustibus casum C. ex quib. caus. infam. irrog. Vlpian. in l. siduo ff. de iure iur. Spartianus in Seuero. Lãpridius in Alexandro.*

*S. Ambros. serm. 90.*

*Acta S. Laurentij Sur. tom. 4. 10. Aug.*

NOLITE. In Passione quòque Sancti Ananiæ vnius ex septuaginta Domini discipulis eum in nudo dorso verberatum legimus Præconibus acclamantibus: PARE PRAESIDI, ET DIIS SACRIFICA PRAEPOTENTIBVS. Quod autem ad Præconis munus attinet; ipsius erat citare Reos Sueton. in Tiberio: Citatumque pro tribunali voce Præconis.] Varium etenim, & multiplex erat Præconis officium, quod ab Apuleio ita describitur: Præco cum Proconsule, & ipse tribunal ascendit, & togatus illic videtur, & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque attentissimè clamitat; enimuero ipse Proconsul moderata voce rarenter, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit, quippequì Præconis vox garrula ministerium est Proconsulis &c.] Erat & Præconis officium damnatorum bona, quę hastæ subiecta erant, proclamare; hinc Cicero: Hastam in foro ponere, & bona Ciuium voci subijcere Præconis.] & alibi: Hasta posita pro æde Iouis Statoris bona Cn. Pompeij voci acerbissimæ subiecta Præconis.] Et Tertullian. in Apologet: Sub eadem voce Præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quæstoris diuinitas addicta conducitur.] Præconis denique munus erat in comitijs Tribus citare, qui Magistratus essent creati renunciare, in concionibus, & theatris audientiam indicere, in auctionibus delata pretia declarare, & similia agere.

*Pass. S. Ananiæ Sur 10. 5. die 1. Octobr.*

*Suetonius in Tiberio.*

*Apul. i Florid. lib. 1 in fine.*

*Cic. lib. 2. Offic. & 2. Philip.*

*Tertull. Apol. c. 13.*

42 ASSESSOR PRAEFECTI. Iureconsulti illi, qui maioribus Magistratibus iudicantibus assidebant, & consulebant Assessores dicebantur. Extat in Digestis titulus de officio Assessor. multæq; sunt leges eorum officium explicantes. Hi enim ciuiles causas cognoscebant, & decidebant, criminales vero audiebant tantum, easque Præfectis decidendas remittebant, sententias tamen à Præfecto ferendas dictabant; de quibus etiam est Constitutio Iustiniani Imperatoris in Auth. de Iudicibus.

AD

43 AD AGRVM PAGVM, VBI ERAT STATVA IOVIS. Pagus quid ſit in genere notum eſt ex Feſto nempè vicus, aut villa extra Vrbem, in quo multitudo aliqua ruſticorum conuiueret, communeſq; Deos coleret. Hic autem Pagus, de quo noſtra agit hiſtoria, vt ex ipſa infra colligitur, erat milliario quarto ab Vrbe, vbi templum quoddam Iouis erat, ad quod id temporis duci Chriſtiani ſolebant ad immolandum, vt ex hoc loco, & ex actis S. Vrbani apparet. Deos autem in Pagis coli ſolitos ex eo quidam è noſtris conijciunt, quod Infideles Pagani appellentur; etiam ſi alij alias huius nominis rationes tradāt. Verū in Pagis Deos cultos Cicero. 2. de legib. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4 & Varro lib. 5. de lingua latina teſtantur, apud quos paganalia, ſiue paganicæ feriæ commemorantur, de quibus etiam Ouidius.

*Isidor. lib. 8. Orig.*

*Ouid. lib. 1. Faſt.*

*Pagus agat feſtum, Pagum luſtrate coloni,*
*Et date paganis annua liba focis.*

Ex huiuſmodi igitur cultu Iupiter ille forſan dictus Paganicus, de quo antiqua hæc inſcriptio Aſiſij in Vmbria extare dicitur in foro.

IOVI. PAGANICO. SACR

*Habes hāc inſcriptionem apud Smetium fol. 6. nu. 5.*

EX INDVLGENTIA. DOMINORVM
SVCCESSVS. PVBLICVS. MVNICIPVM
ASISINATIVM. SER AMOENIANVS
AEDEM. CVM. PORTICIBVS A SOLO
SVA. PEC. FECIT. ITEM. ET MENSAM. ET. ARAM

D D

44 CORNICVLARIO PRAEFECTI. Ita habent omnes codices manuſcripti, quos vidimus, ita etiam

etiã apud Natalẽ; licet apud Suriũ,& in Romano martyrologio recentioris editionis legatur CVBICVLARIO. At Cornicularius Præfecti inter alios Apparitores connumeratur;quilibet enim maior Magiſtratus, & Præfecti potiſſimum ſuum habebant Cornicularium: Cornicularij Præfecti Prætorio meminit l. 1. & 2. C. de Apparitoribus Præfecti Prætorio lib. 12. Habemus etiam de Cornicularijs Præfecturæ Valentiniani,& Valentis conſtitutiones. Ii enim, vt ſcribit Maternus, ſententijs damnatorum exequendis præerant. Erunt (inquit) Iulius Firmicus Cornicularij,aut Commentarienſes, quibus damnatorum cura committitur, ſeu Clauicularij, vel carcerum Cuſtodes, & quibus publicarum catenarum cura mandatur.] Cornicularius præterea,vt ex Martyrum actis colligitur, cum Martyres torquebantur præſens erat, eoſque alloqui ſolebat, vt in actis manuſcriptis SS. Tharaci, Probi, & Andronici;atque in actis quòque S. Dulæ Martyris,& S. Iuliani apud Surium. Erant & Cornicularij militares in exercitu,de quibus ſæpe apud veteres Scriptores, & in antiquis lapidibus.

*Petrus Natalis in Catalogo.*

*Valentin. Conſt. l. 8. & 9. de diuerſ. offic. C.Theodoſ. Matern. lib.2.*

*Iul. Firmic. lib. 1. Matheſ. c. 6.*

*Acta mar. SS.Tharaci & cet in veteriCod. Bibliothec. Presb. Congr. Orat.*

*Acta S.Dulæ Sur. to. 3. 5.Iunij.*

*S. Iuliani tom. 1. 9. Ianuar.*

45 DEPONERE. loquendi proprius Chriſtianorum vſus, ſupra etiam dicitur; *Dum depoſuerit corpus, a morte non tangitur*. Quemadmodum enim dormire mortui ob certam futuræ reſurrectionis ſpem dicuntur (vt infra, cum de Cœmeterijs agemus,oſtendemus) eadem etiam ratione in ſepulcro, non tamquam in æterna domo, vt Gentiles loqui ſolebant, de quo loquendi more non paucæ extant antiquæ inſcriptiones, non collocari, ſed deponi a Chriſtianis dicebantur, vt in ueteribus Chriſtianorum monumentis, & in ipſis quòque Cœmeterijs videre eſt; corpora enim defunctorum terra tamquam depoſita fouet; eadem cum Iudicij dies aduenerit ſuo redditura Creatori, quod eleganter verſibus illis à Prudentio concinitur.

*Prudent. in hymno in exequijs defunctoũ.*

*Hunc ſuſcipe terra fouendum,*
*Gremioq; hunc concipe molli;*
*Hominis tibi membra ſequeſtro,*
*Generoſa, & fragmina credo.*

*Animæ fuit hæc domus olim*
*Factoris ab ore creatæ,*
*Feruens habitauit in iſtis*
*Sapientia Principe Chriſto.*

*Tu depoſitum tege corpus*
*Non immemor ille requiret*
*Sua munera Fictor, & Auctor*
*Proprïque ænigmata vultus.*

*Veniant modò tempora iuſta,*
*Cum ſpem Deus impleat omnem,*
*Reddas patefacta neceſſe eſt,*
*Qualem tibi trado figuram.*

46 SI IOVI TVRA NON PONERET, PVNIRE TVR: Varijs,& diuerſis modis ſolebant Gentiles ad Idololatriã Chriſtianos impellere,aliquãdo vt nomen ſuũ darent,& libellos offerrent,qui Libellatici,ſeu Libellati à S. Cypriano ſæpe vocantur;aliquando vt ſacrificarent,quos idẽ Cyprianus Sacrificatos,ſiue Sacrificiatos appellat: frequentiſſimè autem ad tura imponenda eos impellebant, quos Mittentes, & Turificantes, quandoque verò Turificatos dictos reperimus; Mittens, & Turificans appellatur B.Marcellinus Papa in actis ſuæ cauſæ, & cõdemnationis ibi: Euntes autem multi Chriſtiani propter veritatem ad templum abierunt, & viderunt eum mittentem, & turificantem, & factum amicum Principum.] Turificatorum meminit S. Cyprianus his verbis: Deſideraſti in his literis, vt reſcriberem tibi, quam hæreſim Nouatianus introduxiſſet, vel Cornelius qua ratione Trophimo,& Turificatis communicet.] Sæpe autem in actis Martyrum de huiuſ-

*S. Cypria- Epiſt. 52.*

*Acta Marcellini Papæ. Concil. tom. 1.*

*S. Cyprianus dicta Epiſt. 52.*

huiuſmodi turificatione mentio habetur, quæ quemadmodum fieret operæ pretium eſt cognoſcere. Ara ſtabat, cui Idoli ſimulacrum imminebat, in ea ignis accenſus; qui ergo Idolum colere vellet, tus in eum ignem, ſi pauper erat, exiguum preſſa manu, aut ſummis digitis inijciebat; ſi ditior magna copia, plenaque manu, lance, vel acerra profundebat; eum cultũ vetera monumenta è marmore indicant, & numiſmata, in quibus huiuſmodi ara repræſentatur, propè quam Vir ſupplicantis habitu lancem porrecta manu tenens aſpicitur; id vero maximè propriè tura dare, ſed & ponere etiam, vt in noſtra hiſtoria, dicebatur. Ouidius.

*Ouid. lib. 3. Faſtor.*

*Grãtare Iliacis, turaq; pone focis*

& Iuuenalis.

*Iuuenal. ſatyr. 3.*

*In carbone tuo charta pia tura ſoluta*
*Ponimus.*

Et hęc quidem quoad ipſum loquendi modum. Cæterum quod ad rem attinet, illud in actis Martyrum legitur, edicta quandoque propoſita fuiſſe, vt omnes Chriſtiani vbicumque inuenti Dijs tura dare, ſeu ponere cogerentur, vt in actis SS. Abundij, & Abundantij, & alias ſæpe; ad quod etiam vi perſecutionis adductus eſt B. Marcellinus Pontifex, qui deinde eam maculam ſalutari pœnitentia, ipſoque tandem martyrio deleuit. Verum illud maximè atrox, & horrendum fuit, quod ſub Diocletiano propoſitum eſt, ne quis quidquam Chriſtianis venderet, nec alia vſui humano neceſſaria ſubminiſtraret, niſi Dijs prius tura poſuiſſent, cuius rei ita meminit Venerabilis Beda.

*Acta SS. Abundij, & Abundãtij eruditiſſimis notis aucta edita habentur a Collegio Patrum Societatis Ieſu.*

*Beda in Hymno S. Iuſtini Martyr.*

*Non illis emendi quidquam,*
*Aut vendendi copia,*
*Nec ipſam haurire aquam.*
*Dabatur licentia*
*Antequam turificarent*
*Deteſtandis Idolis.*

Tus quòque Chriſtianorum manibus imponere ſolebãt

Gentiles, easque per vim foco in ara accenso admouere, vt illud flammarum ardore compulsi in suppositum ignē cadere sinerent; Ita de Origene tradit Epiphanius: Itē quamuis (inquit) spontanea voluntate id non perfecerit, vt fama increbuit, posteaquam tamen planè se istud facturum fuisset professus, immissum in eius manum tus in altaris rogum immiserunt. ] Quandoque etiam tus ardens Martyrum manibus imponebant, vt illud ante Idoli statuam excutiendo id Idolo obtulisse viderentur. Celebratur maximè S. Cyrilla Martyr, quæ in eadem Diocletiani persecutione ardentes carbones cum ture supra manum posito diu tenuit. Commemorat quòque præclaro encomio S. Basilius eximium Barlaam Martyris facinus, qui potius cōburi manum passus est, quam tus inijceret.

*Epiphan. in Panar. haeſ. 64.*

*De S. Cyrilla martyrologium Roman. tertio nonas Iulij.*

*S. Basilius in Orat. in Barlaam.*

47 PLVMBATIS CAEDI, Plumbatarum forma visitur adhuc in antiqua pictura Ecclesiæ S. Laurentij extra Vrbis mœnia; Erant enim glandes, seu globuli plumbei funiculis, vel, vt in antiquo etiam marmore insculptum vidimus, catenulis impacti, quibus Martyres cædebantur; quod etiam declaratur ex actis S. Theodori, cum eū globis plumbeis immisericorditer verberari iussum dicitur. Hoc autem tormenti genus inter alia connumeratur a S. Ioanne Chrysostomo his verbis: Sunt lictoribus multa tormentorum genera, ligna, lora, vngues, plumbum, quibus torquent corpora, & membra dilacerant, & distrahunt.] Et S. Ambrosius: Quid respondebo postea (inquit) si compertum fuerit, data hinc auctoritate, aliquos Christianorum, aut gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos?] Huius etiam cruciatus meminit Tertullianus in Apologetico, cum dicit: Ceruices ponimus ante plumbum;] & Ammianus Marcellinus his verbis: Sericum, & Asbolium supradictos, quoniam cum hortaretur passim nominare quos vellent, adiecta religione firmarat, nullum igne, vel ferro se puniri iussurum, plumbi va-

*Acta S. Theodori apud Sur. tom. 1. 7. Februar.*

*S. Io. Chrysost. in demonst. aduersus Gēt, quod Christus sit Deꝰ tom. 5.*

*S. Ambros. Epist. 17. tom. 2 edit. Rom.*

*Tertull. in Apologetic. c. 12.*

*Ammian. Marcellin. lib. 28. & 30.*

validis ictibus interemit.] & alibi : Cumque diſceret (inquit) periſſe aliquem laqueo, abiſſe alium trans mare, conſciuiſſe ſibi alium mortem, aut plumbo vita erepta extinctum, in immenſum excanduit.] Et Prudentius in hymno S. Romani.

*Prudent. hymno 10. Pereſtegh.*

*Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,*
*Plumboque ceruix verberata extuberet.*

De hoc denique ſupplicio extant quamplures leges in Codice Theodoſiano vt l. 80. de Decur. l. 4. & 7. de exact. l. 54. de Hæretic. & l. 2. de quæſt. ex quibus colligitur, ingenuos homines ſupplicio hoc mulctare nefas, ab eoque omnem Curialem Ordinem exemptum fuiſſe: Chriſtiani autem, cum plebei, viles, & ſeruilis conditionis homines reputarentur, virgis, fuſtibus, plumbatis, alijſque infamibus, & ſeruilibus pœnis afficiebantur. Multos verò Sanctos Martyres plumbatis cæſos ſpiritum emiſiſſe, vt Maximus hic noſter, legimus, & præcipue SS. Geruaſium, Ianuarium, Papiam, Maurum, Seuerum, Seuerianum, Carpophorum, Victorinum, Nicomedem Preſbyterum, vt in actis SS. Nerei, & Achillei, Lucianum quòque S. Vrbani Papæ Diaconum, & pleroſque alios. Plumbatis etiam, ſed non ad ipſam necem, cæſi fuerunt S. Vrbanus Papa cum ſocijs, SS. Martyres Abdon, & Sennen, Arthemius, Procopius, Gordianus, alijque innumeri.

*Acta SS. Nerei & Achillei apud Sur. to 3. 12. Maij.*

48 IN SARCOPHAGO EIVS SCVLPERETVR PHOENIX. Extant adhuc quãplures Chriſtianorũ ſarcophagi ſacris, & ſymbolicis figuris inſculpti, quos omnes iam à nobis ſumma diligentia, & in diuerſis ſuburbijs, & priuatis domibus conquiſitos, cum Cœmeteriorum picturis, Deo fauente, edemus; In quorum pleriſque Phœnix inſculpta cernitur, quam reſurrectionis ſymbolum (vt hic dicitur) fuiſſe colliges ex Sancto Clemente, qui de Græcis loquens hæc habet : Quamquam aiunt in vnica ſpecie ſe reſurrectionem oſtendere, non credentes

*S. Clemens. Conſt. Apoſt. lib. 5. cap. 8.*

ijs,

ijs, quæ ipſimet narrant : Aiunt enim auem quandam eſſe ſoligenam, vberem præbentem reſurrectionis demonſtrationem, quam dicunt comparem non habere, ſolamque in mundo reperiri, Phœnicem appellant: narrantque eam poſt quingenteſimum annum in Aegyptum aduolantem, ſecumque copiam cinnamomi, caſiæ, xylobalſami adducentem in loco, qui dicitur Solis ara, conſiſtere, ibique conuerſam ad aſpectum Solis, ei (vt aiunt) ſupplicem ſpontè conflagare, redigique in puluerem: Ex cineribus autem verniem exiſtere, eumque concalefactum in nouam Phœnicem formari, alitemque factum in Arabiã, quæ eſt vltra Aegyptiacum ſaltum, aduolare. Cum ergo, vt ipſi aiunt, per auem rationis expertem probetur reſurrectio, cur temerè noſtratia calumniantur? ] Hęc S. Clemens. Phoenicem quòque ſymbolum eſſe reſurrectionis, tradiderunt Tertullianus, S. Cyrillus, S. Ambroſius, & plerique alij Patres, de quibus fuſius in libro noſtro de picturis Cœmeteriorum.

*Tertull. de reſurrect. c. 14. S. Cyril. Catech. 18. de reſurrect. S. Ambroſ. lib. 5. Hexamer. & lib. de fide reſurrec.*

49 QVAERERE FACVLTATES AMBORVM. Bona enim Damnatorum lata ſententia publicabantur: Supplicij damnatione (inquit Calliſtratus) bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut Ciuitas; aut ſeruilis conditio irrogatur. ] Et Vlpianus pariter Iureconſultus: Si cui (inquit) aqua, & igni interdictum ſit, eius nec illud teſtamentum valet, quod ante fecit, nec id, quod poſtea fecerit; bona quòque, quę tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur; aut ſi non videantur lucroſa, Creditoribus concedentur: In Inſulam deportati in eadem cauſa ſunt; ſed relegati in Inſulam, & quibus Terra Italica, & ſua Prouincia interdicitur, teſtamenti faciendi ius retinent: Hi verò, qui ad ferrum, aut ad beſtias, aut in metallum damnantur, libertatem perdunt, bonaque eorum publicantur. ] Inde eſt quod in actis Martyrum bona eorum publicata frequenter reperies; & idcirco Al-

*Calliſtrat. l. 1. ff. de bon. damnet. Vlpian. in l. eius §. ſi cui ff. de teſtam & qui teſtam. fac. poſſ.*

ma-

machius post SS. Valeriani, & Tiburtij glorioſum exitum eorum facultates quęrere cœpit. Erant verò antiquitus Procuratores ad damnatorum bona conſtituti, vt ex hac antiqua inſcriptione colligitur, quæ in area domus Cæſiæ in Vaticano inſpicitur.

D . M
Q. VAL. Q. F. POSTIMIO
ROMVLO. PATRI. DVL
CISSIMO. EQVO. PVBLI
CO. PROC. AD BONA
DAMNATORVM
PROC. AD. ALIMENTA
CONSILIARIO. AVGG
Q. POSTIMIVS ROMVLVS
FILIVS. ET NEPOTES.

Hic eſt fortaſſe Procurator ille Cæſaris, cuius meminit L. ſi vt proponis C. de bonis proſcriptorum, ibi: Si (vt proponis) bona eius, qui tutelam tuam adminiſtrauit, ſententiam paſſi ad Fiſcum ſunt deuoluta: Procuratorem noſtrum adire cura, qui ſi quid iure poſci animaduerterit, nõ negabit.] Erat enim hic procurator, vt notat Bart. in l. ſi minori C. de iure fiſci iudex inter priuatũ, & Fiſcum, de quo ſæpe in Titulo de Iure fiſci, & de bonis damnatorum.

50 APPARITORIBVS. Miniſtri omnes, qui Magiſtratuum præceptis præſtò erãt, vt potè Lictores, Viatores, Cornicularij, Scribæ, Accenſi, Interpretes, Præcones, alijque ſimiles, apparitores ab apparendo dicebantur, vt notat Seruius in illud Virg. *Virg. lib. 12 Aeneid.*

*Sæuique in limine Regis*
*Apparent.*

De Apparitoribus quòque habes apud Prudentium. *Prudent. in hymno S. Romani.*

*Incenſus his Aſclepiades, iuſſerat*
*Eui-*

*. Euiſcerandum corpus eculeo eminus*
*Pendere, & vncis,* vinculiſque creſcere.*
*Apparitores ſed furenti ſuggerunt,*
*Illum vetuſta nobilem proſapia,*
*Meritiſque multis eſſe primum Ciuium.*

*Vngu-liſque.

Quamplures præterea extant leges, quæ de Apparitoribus mentionem faciunt, vt l. nullus Apparitor, & l. quicunq; C. de diuerſ. offic. l. Diuus ff. de ſeruis fugit. l. ſi pignora ff. de euict. l. ne diu Apparitorum C. de pœnis. Multiplices etiam titulos de Apparitoribus habemus in Iuſtinianeo Codice, vt de Apparitoribus Prefecti annonæ, de Apparitoribus Magiſtrorum militum, Comitis Orientis, Proconſulis, & Legati; de Apparitoribus Præfecti Prętorio, & demum de Apparitoribus Præfecti Vrbi, de quibus hic.

51 OFFERRET SOLIDOS, ITA VT PAREM SVMMAM NVMMORVM. Solidum hic pro aurea moneta, nummum vero pro ærea accipi clarè liquet ex illis quæ ſequuntur verbis: EXVLTANTES, QVOD DARETIS AD COMMVTATIONEM AVRI PRETIOSI AERAMENTVM VILE &c. Solidus (inquit Iſidorus) nuncupatur, quod illi nihil deeſſe videtur; ſolidum enim Antiqui integrũ dicebãt & totũ.] & paulo infra: Solidus apud Latinos alio nomine ſextula dicitur ideo, quod de his ſex vncia compleatur, hunc vt diximus vulgus aureum ſolidum vocat.] Erant ergo ſolidi, vt ex his Iſidori verbis colligitur, aurea moneta; quorum ſex vnciam, ac duo, & ſeptuaginta libram perficiebant, quod ita ipſius Alexandri Imperatoris tempore, quo huius noſtræ Sacræ Virginis martyrium contigit, obſeruatum conſtat ex eiuſdem Reſcripto, cuius hæc ſunt verba: Quotieſcunque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri maſſa tranſmittitur in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta.] Huius quòque ſolidi aureæ monetæ meminit

*Iſidor. lib. 16. Aetymol. c. 24.*

*Alexandri Imper. in l. quotieſcunque C. de ſuſceptor. lib. 10.*

minit Lampridius in vita eiusdem Alexandri; & demum solidum ex auro confici solitum patet ex l. prima C. de ponder. lib. 10. Solidos etiam pro aureis nummis in Sacris literis accipi, ex eo colligit Budeus, quod qui solidi in vulgata editione dicuntur, à Iosepho stateres nominentur; stater verò apud Græcos aureum nummum significet. & hæc de solidis. *Budeus de asse lib. 4.*

Nummus verò hic pro ærea moneta accipitur, vt diximus; idem enim erat simpliciter nummus, quod sestertius æris, quorum centum antiquum aureum, & quorum mille sestertium neutro genere constituebant, vt auctoritate Ciceronis comprobatur, qui quinque sestertia, quinque millia sestertium, & quinque millia nummum pro eodem vsurpat. Et quod Suetonius aureum vnum dedisse Othonem scribit, Tacitus centenos sestertios dixit. Sed de his latè per Budeum, Alciatum, & alios recentiores quosdam, qui de asse, ponderibus, & mensuris scripserũt. *Cic. act. 4. in Verrem.* *Sueton. in Othone.* *Tacit l. 17*

52 QVOD AVTEM ILLVSTRIVS EST, CHRISTIANA SVM. Tam ardenti desiderio ob fidei confessionem martyrij coronam promerendj flagrabant glorioſi Christi Milites, vt ab Imperatoribus, & Iudicibus de nomine tantum proprio interrogati simul cũ eo Christianæ professionis nomen ederent, vt nostra hæc Beatissima Virgo Cæcilia. Ita quòque de nomine a Fabiano Iudice interrogatus S. Pontianus Martyr, respondit: A *parentibus quidem meis nomen mihi Pontiani impositum est, sed Ego aliud maius, & præclarius habeo, nempe Christiani.* De nomine pariter interrogatus Sanctus Euentius (vt habetur in actis S. Alexandri Papæ) respondit: *Nomine carnali Euentius dicor, Spirituali autem Christianus sum.* Interrogatus S. Acatius Centurio Martyr a Bibiano Duce, quodnam nomen haberet, respondit: *Optabile mihi, & toti generi meo nomen à Christo deriuatum, illud vero, quo humano vsu appellor, Acatius est.* Ita quòque S. Bonifatius Martyr de nomine tantum interro- *Pontiani Mart. act. Sur. tom. 1. 14. Ian.* *Acta S. Alexandri Sur. to. 3. 3. Maij.* *Acta S. Acatij Sur. to. 3. 8. Maij.* *Acta S. Bonifatij Sur. tom. 3. 5. Iun.*

gatus reſpondit: *Primum quidem mihi nomen, & quo maximè vocari gaudeo, Chriſtianus ſum, quod ſi vis ſcire nomen mihi impoſitum à parentibus, Bonifatius.* Hac ipſa denique Chriſti confeſſione adeo gloriabantur S. Martyres, vt de nomine interrogati nihil aliud quandoque reſponderent, quã Chriſtianus ſum, vel Chriſtianus appellor, de quo multa exẽpla reperies in Epiſtola Gallicana ad Eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ miſſa apud Euſebium, ſed inter cętera præclarũ illud eſt, quod in ea de Diacono quodam traditur, cuius hæc ſunt verba; Ipſe tanta animi celſitate, & conſtantia illis ex aduerſo reſtitit, vt ne nomen quidem, vel ſuum, vel Gentis, vel Ciuitatis, vnde fuit, neque vtrum ſeruus, an liber, illis vellet dicere; ſed ad omnia rogata latino ſermone reſponderet, Chriſtianus ſum, iſtudque pro nomine, pro Ciuitate, pro genere, & denique pro re quaque iterum, ac ſæpius eloqueretur; aliam autem vocem Gentiles ab eo elicere, audireque non poterant. ] Ita etiam de Sancto Concordio Martyre legitur, qui de nomine à Torquato Tuſciæ Comite interrogatus reſpondit: CHRISTIANVS SVM, Et iterum interrogatus, IAM TIBI DIXI, reſpondit, CHRISTIANVS SVM, ET CHRISTVM CONFITEOR. Huius demum liberrimæ Chriſti confeſſionis à Sanctis Martyribus emitti ſolitæ meminit Tertullianus in Apologetico his verbis: Vociferatur homo, Chriſtianus ſum, quod eſt, dicit, tu vis audire, quod non eſt, veritatis extorquendæ Præſides de nobis ſolis mendacium elaboratis audire. ]

*Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. c. 1.*

*Acta S. Cõcordij Sur. tom. 1. 1. Ianuar.*

*Tertullia. Apolog. c. 2.*

53 CAECILIA RESPONDIT: CIVIS ROMANA, ILLVSTRIS, AC NOBILIS. In alijs Codicibus legitur INGENVA, NOBILIS, CLARISSIMA. Haud temerè credas, Sanctam hanc Virginẽ à veteribus illis Romanis CAECILIIS genus duxiſſe; quippè CAECILIA Gens Romæ plebeia quidem, ſed nobiliſſima fuit, ex qua Metellorum Familia multis Conſulatibus, Cenſuris, Dicta-

Dictaturis, Triumphis, Pontificatibus maximis claruit. Illuſtrarunt id nomen apud Ethnicos ex mulieribus plures aliæ, inter quas antiquiſſima CAIA CAECILIA TANAQVIL prudentiſſima mulier Tarquinij Priſci Regis vxor; Florente vero Republica CAECILIA L. METELLI DALMATICI F. que M. Aemilio Scauro Principi Senatus, deinde L. Sullæ Dictatori nupſit. Memoratur etiam à Cicerone altera CAECILIA METELLA, cuius ab eo ſomnium refertur. Eſt & tertia Q. Metelli filia, eius qui à Creta deuicta cognomẽtum tulit, Craſſiq; diuitis, qui à Parthis cæſus eſt, vt pleriq; conijciunt, vxor, cuius eſt monumentum id egregium è tiburtino marmore ſphærica forma, quod Appia via adhuc extat, vulgo caput bouis dictum, in quo hæc legitur inſcriptio. *Cic lib. 1. de diuinat.*

C A E C I L A E

Q. METTELLI CRETICI. F

METELLAE. CRASSI

Memorabile etiam Cæciliorum nomen reddit, quamuis non ex Metellis orta, CAECILIA ATTICA Attici eius, ad quem Ciceronis extant epiſtolæ, filia, & M. Agrippę ter conſulis vxor, ex qua Agrippina nata eſt vxor Ti. Claudij Neronis Cæſ. Sed omnium glorias omnes hæc noſtra CAECILIA ſuperauit, maximumque Familiæ ſuæ decus triumphali martyrio, & chriſtianæ fidei virtute addidit, vt illis quidem verbis ſignificauit: *Quod autem Illuſtrius eſt, Chriſtiana ſum.* Ipſa quidem ſe, & Romanam Ciuem, & illuſtrem, & nobilem, ac clariſſimam profitetur, nec id Præfectus abnuit inquiens: *Natiuitate ſcimus te nobilem;* Cui nobilitati fidem etiam aſtruit, quod diues admodum, & opulenta erat, Sponſoque & ipſi illuſtriſſimo deſponſata. Neque verò longè ab ijs tẽporibus alij CAECILII

absunt sub Cæsarum Imperio, quorum nomina inter Fastos, & Magistratus leguntur: Ante annos centum sexaginta circiter sub Vitellio CN. CAECILIVS SIMPLEX Consul cum C. Quinctio Attico suffectus; propius sub Traiano ante annos plus minus centum C. CAECILIVS CLASSICVS suffectus cũ Acilio Rufo; omitto C. CAECILIVM PLINIVM sub eodẽ Traiano Cornuti Tertulli Collegam, cuius extant epistolæ elegantissimæ, quoniam hic Patria Nouocomensis in Familiam est insitus. Cæterum proximè omnium ad nostræ Martyris tempora accessit ex his, quos hactenus notarim Viris insignibus CAECILIVS CAPELLA, qui sub Septimio Seuero Præses Byzantij fuit tempore, quo ea Ciuitas exitio data est, cuius meminit Tertullianus. Sunt & frequentia in vetustis lapidibus variorum Cæciliorum nomina, quorum etiam plurima inuenies impressa in libro Inscriptionum Europæ à Smetio collectarum.

*Tertull. lib. 4. ad Scapul.*

*l. 12. & vlt. de annon. Ciuic.*

*l. vlt. de oper public.*

*Nou. 1. & 2. de Inuasbr. Nou. de corpor. vrb. Ro.*

*Nou. de Honorat.*

*Nou. de Nauicul. amnic.*

*l. 6. de Suar.*

*l. 5. C. de pœnis.*

*Nou. de Inuasor.*

*l. 25. de oper. public.*

*l. 49. de appellat. in C. Theodos.*

*l. 18. de appellat. eod. Cod.*

*l. 1. de frument. vrb. Const.*

*l. 37. de Epis.*

*l. 2. de gladiat. l. 29. de Nauic.*

*Acta S. Sebast. Sur. st tom. primo. 20. Ianu.*

*Tertull. in Apologetic. cap. 2.*

54 NOBILITAS VESTRA. Præfectum Vrbi, vt primarium Magistratum honorificis quòque verbis Imperatores ipsi affari consueuerunt; ad illum enim rescribentes his eum titulis decorabant: *Illustris magnificentia tua. Illustris, & præcelsa magnificentia tua. Illustris magnitudo tua. Illustris auctoritas tua. Amplitudo tua. Sublimis eminentia tua. Sinceritas tua. Grauitas tua. Culmen tuum. Sublimitas tua.* Et alijs similibus: Idcirco Beatissima Virgo nostra Cæcilia cum Almachio loquens inquit *Nobilitas vestra.* Ita etiam in actis S. Sebastiani Fabianus Vrbi Præfectus *Illustrissimus* à Sancto Tiburtio Martyre appellatur.

55 O IVDICEM NECESSITATE CONFVSVM. Videntur hæc verba, & quædam ex sequentibus translata esse ex Apologetico Tertulliani, sed aliquatenus immutata; Tertullianus enim loquens de Traiani Rescripto ad Pliniũ in causa Christianorũ, quo respondet eos inquirẽdos

dos nõ esse,oblatos verò puniẽdos,statim exclamat:O sententiã necessitate cõfusam;negat inquirendos, vt innocentes;& mãdat puniendos, vt nocentes. Parcit,& sæuit,dissimulat, & animaduertit. Quid te met ipsum censura circumuenis? si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non & absoluis?] Idem Tertullianus paulò infrà Iudicis contra Christianos iniquitatem ostendens sic ait: Præuaricaris in leges, vis ergo neget se nocentem,vt eum facias innocentem?] Quæ verba planè hic præposterè habentur, nocens enim apud Tertullianum, & innocens accipitur respectu humani iudicij, hoc autem loco respectu iudicij diuini; quod ne longiores simus,legenti expendendum relinquimus.

56 ET IN SVA IBI DOMO FLAMMIS BALNEARIBVS CONCREMARI. Balnea apud Antiquos ne dum publica erant, sed etiam priuata, quæ ditiores præcipuè domi, vel in villis habebant. Priuatum enim balneum domi suæ Sergium Oratam primum fecisse scribit Macrobius; cuius exemplo cæteri quòque proprijs ędibus priuata balnea, quibus lauarentur,habuere; de quibus habes apud Varronem. Meminit sæpe Cicero balnei sui, nam ad Terentiam scribens: Labrum si in balneo (inquit) non est,fac vt sit.]& ad Atticum:Cum è balneo exissem,accepi literas tuas.] & alibi: Balneum calefieri iubebo.] & lib. 2. de Oratore de priuatis M. Bruti balneis mentionem facit. Plinius quòque ad Gallum scribens: In hoc (inquit) balneea meritoria tria: magna commoditas; si fortè balneum domi,vel Domini subitus aduentus,vel breuior mora calefacere dissuadeat] hæc Plinius, qui sæpe alibi de priuato balneo agit. In proprio ergo balneo, quod domi suæ habebat,Præfecti iussu B. Virginẽ Cæciliam clausam fuisse hæc narrat historia; verum qua in balnei parte ea passa fuerit,non declaratur, quod operæ pretium erit explicare. Erant etenim in balneis plures cellæ,

*Macrob. lib.3,c. 15.*

*Varro. lib. 8. de lingua latina Cicero ad Ter li. 15. Ad Atticũ lib.1. & li. 2. de Orat.*

*Plin. lib.2. epist.17.ad Gallum.*

læ, quarum tres communiter numerantur, quæ à diuerſo earum vſu, diuerſis quòque nominibus appellabantur; cella enim, quæ frigidi aeris eſſet, frigidarium; quæ vero tepidi, tepidarium, ſiue caldarium; ea autem, quæ calidi calidariũ dicebatur, de quibus agunt Plinius lib. 2. epiſt. ad Gallum, & lib. 5. ad Apol. & Cornelius Celſus lib. 1. cap. 4. Frigidarij quòque meminit Vopiſcus in Carino, cum ait: Balneis ita frigidis vſus eſt, vt ſolent eſſe cellæ ſuppoſitoriæ frigidarijs ſemper niualibus.] Tepidarij verò, ſeu caldarij Lampridius, qui Alexandrum Seuerum caldarij nunquam, vel rarò vſum fuiſſe teſtatur. Verum nec in frigidario, nec in caldario, ſeu tepidario, ſed in calidario potius noſtram hanc Sanctã Martyrem paſſam putarẽ; qui locus, vt eximius vir Fuluius Vrſinus, & plerique alij, qui de Thermis ſcripſerunt animaduertunt à Græcis τυρια τήριον, a Latinis vero ſudatorium, & laconicum quandoque nuncupatur, quod ita à Vitruuio deſcribitur: Laconicum, ſudationeſquè ſunt coniungendæ tepidario, eæ què quam latæ fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curuaturam hemiſphærij, mediumq; lumen in hemiſphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat, per cuius reductiones, & demiſſiones perficietur ſudationis temperatura, ipſumquè ad circinum fieri oportere videtur, vt æqualiter à medio flammæ, vaporiſq; vis per curuaturæ rotundationes peruagetur.] Hæc de laconici forma Vitruuius, cuius etiam meminit Cicero ad Atticum: Noſtras (inquit) ambulationes, & laconicũ cum poteris inuiſas.] Dio quòq; laconicum, Græcè verò τυρια τήριον, ab Agrippa Romæ extructum fuiſſe ſcribit, idq; laconicum ſignificat appellatum exemplo Lacedemoniorum, apud quos in gymnaſijs nudare corpora, & inungi oleo mos erat, quod ipſum in his ſudationibus fiebat. Laconico ergo ad ſudandum potiſſimum vtebantur veteres, & propterea ſudatorium etiam dicebatur: Quid cum ſudatorijs? (inquit Seneca) in quæ ſiccus vapor corpora

*Vopiſcus in Carino.*

*Lãpidius in Alexandro.*

*Vitruuius lib. 5. c. 10*

*Cicero ad Atticum lib. 4.*

*Dio lib. 53.*

*Seneca Epiſt. 51.*

ex

ex hausturus includitur? omnis sudor per laborē exeat. ] Erat etenim laconici aer aridus, siccus, & igneus, & idcirco dixit Celsus, assas in eo fieri sudationes, & exiccari corpora; & Columella: Quotidianam (ait) cruditatem laconicis excoquimus,& exucto sudore sitim quærimus.] In Laconico igitur supra modum calefacto inclusa fuit Sā cta Cæcilia, vt ibidem immodico calore, & igneis vaporibus suffocata extingueretur, quod nobis magis suadetur ex illis verbis, quæ in hac ipsa historia habentur ibi: *Cumque fuisset in calore balnei inclusa, & subter incendia nimia lignorum pabula*, seu vt in alijs codicibus legitur, *Pabulo ministrarent, die integra, & nocte tota, quasi in frigido loco*, vel vt in alijs exemplaribus habetur *Frigidario illibata perstitit sanitate, ita vt nec vna pars membrorum eius saltem sudoris signo lassaretur*. Quæ verba innuunt B. Virginem in feruenti sudatorio positam; balnea enim à subiecti ignis, & lignorum quantitate modo calida, & quandoque calidissima fieri ostendit Martialis inquiens.

*Celsus lib. 3. cap. 27.*
*Columnella in prooemio lib. 1.*
*Martial. lib. 10.*

*Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores*
*Halat, & immodico sexta Nerone calet.*

Erat autem sub Laconici pauimento locus concameratus fornacis instar, in quo ligna, & ignis ad illud calefaciendum apponebantur; quam fornacem intelligit nostra historia cum ait: *Et subter incendia nimia lignorum pabulo ministrarent*; cuius loci etiam meminit Lampridius in Cō modo, qui ab eo Balneatorē in fornacem conijci iussum fuisse tradit. Quod autem ad huius supplicij genus pertinet, hoc eodem Faustam Augustam Constantini Magni iussu interemptam legimus, de quo ita Zosimus. *Nam cum balneum accendi supra modum iussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit.* ] Et Sextus Aurelius Victor. *At Constantinus obtento totius Romani Imperij mira bellorum felicitate regimine (Fausta coniuge, vt putant suggerente) Crispum filium necari iubet; dehinc vxorem suam Faustam in balneas ardentes coniectam interemit.* ] Sidonius quòque Apollinaris:

*Lāpridius in Cōmodo*
*Zosim hist. lib. 2.*
*Aurelius Victor in vita Constantini.*
*Sidonius lib. 5 epist. 8.*

ris: *Prædictus* (inquit) *Augustus ijsdem fermè temporibus extinxerat coniugem Faustam calore balnei.* ] In historia quòque Apostolica Abdiæ Babylonici, si tamen Abdiæ est liber ille, qui eius nomine circumfertur, B. Thomam Apostolum in thermis inclusum legimus, quæ vt eadem Abdiæ verba referam) vltrà calefieri non potuerunt, sed nec paruum quidem teporem habebant, ipseque Apostolus altero die egressus est incolumis. Sed & in feruentes balneas coniectus fuit S. Concordius Episcopus vnà cum Socijs, vt habent eius acta, quorum hæc sunt verba: *Iubet hominem abduci, & vnà cum Crescentio, cæterisque Christianis in thermas multò, quam mos esset, calefactas includi; at illi signo Crucis cum se munissent, nulla sunt pœnitus molestia caloris affecti; sed læti gaudentesque Deum glorificabant.* ] Eodem etiã modo ab igneis vaporibus, & balnearibus flammis seruata fuit S. Cæcilia, vt illud Sapientiæ auctore Christo adimpleretur in Sanctis eius: Ignis ardens, & coruscans vim naturę suæ oblitus est.

*Abdias Babyl. lib. 9. hist. Apost.*

*Acta S. Cõcordij Epi. Sur. tom. 1. 29. Ianua.*

*Sap. 16.*

57 SANGVINEM OMNES BIBVLIS LINTEAMINIBVS POPVLI, QVI PER EAM CREDIDERANT, EXTERGEBANT. Martyrum sanguinem vsq; ad guttam vnam linteaminibus, & spongijs colligere consueuisse priscos Christianos, qui Martyrum acta prætercurrerit, facilè cognoscet. Celebres in hoc præcipuè fuere Virgines duæ Sorores Praxedes, & Pudentiana, cuius rei in earum Ecclesijs Romæ præclara adhuc extant monumenta; legimus quòque in manuscriptis actis S. Blasij Martyris, septem pias mulieres, eo quod ex eius vulneribus profluentem sanguinem abstergissent, in candentes sedes impositas. Eundem pium morem Prudentius commemorat inquiens.

*Acta mss. Blasij habentur in Bibliothecis Vatic. Basilica S. Petri, & Presbyterorum Cõgr. Oratorij.*

*Prudent. in pass. S. Hippolyti.*

*Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,*
*Impleb antq. sinus visceribus laceris,*
*Ille caput niueum complectitur, ac reuerendam*

*Cani-*

*Caniciem molli confouet in gremio.*
*Hic humeros, truncasq; manus, & brachia, & vlnas,*
*Et genua, & crurum fragmina nuda legit,*
*Palliolis etiam * bibulis siccantur arenæ* — * bibula.
*Ne quis in * intacto puluere ros maneat.* — * infecto.
*Si quis & in sudibus recalenti aspergine sanguis*
*Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.*

Idem Prudent. alibi. — *Prudent. in hymn. S. Vincentij.*

*Pleriq; vestem lineam*
*Stillante tingunt sanguine;*
*Tutamen vt sacrum suis*
*Domi reseruent posteris.*

58 TVAE BEATITVDINI. In actis autem S. Vrbani Fauianus, Callistus & Ammonius eidem Vrbano dicunt: Ora pro nobis SANCTISSIME PATER. Romanum enim Pontificem affantes, & ad eum rescribentes antiqui Christiani, etiam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis, vt ita dicam, & Beatissimum, & Sanctissimum Patrem, & Beatitudinem tuam (vt hic B. Cæcilia Vrbanum Papam) appellarunt; cuius rei in antiquis Patrum, & Conciliorum Epistolis innumera extant testimonia; In epistola Orientalium ad Iulium Papam Primum: Domino BEATISSIMO, & honorabili Patri Iulio Apostolicæ Sedis venerabili Episcopo.] In Epistola Athanasij, & Aegyptiorum Episcoporum ad Liberium Papam: Domino BEATISSIMO, & honorabili Sancto Patri Liberio Papæ.] Et ita etiam in alia eorundem ad Felicem Papam: Domino BEATISSIMO, & honorabili Sancto Patri Felici Sanctæ Sedis Apostolicæ Vrbis Romæ Papæ.] Et infrà in literis: Quia Apostolicis vestra BEATITVDO visceribus commota &c.] Et in Epistola S. Hieronymi ad Damasum Papam: BEATISSIMO Papæ Damaso Sedis Apostolicę Vrbis Romæ.] Et in Epistola Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Aphricę ad eundem Damasum: BEATISSIMO DO-

*Has omnes epist. habes impressas lib. 1. epist. sum. Pont.*

MINO, & Apostolico culmine sublimato Sancto Patri Patrum Damaso Papę, & summo omnium Præsulum Pontifici.] Et infra in literis: Notum vestræ facimus BEATITVDINI &c.] Et paulo post: Sin minus illicita sunt hęc, pateat vobis talis omnibus licentia, BEATISSIME PATER &c.] Et demum in Epistola Aurelij Carthaginensis Episcopi ad eundem Damasum Papam: BEATISSIMO Papæ Damaso.] Et infra in literis: Gloriam Apostolicæ Sedis, & vestræ SVBLIMITATIS gratiam &c.] Et paulo post: Quam cognouimus per vestræ sapientiæ SANCTITATEM gubernari.] Et in fine eiusdem Epistolæ: Bene uale SANCTISSIME Papa, & ora pro nobis AMANTISSIME PATER.

59 DOMVM MEAM IN AETERNVM ECCLESIAE NOMINE CONSECRARES. Ita etiam S. Lucina Marcellum Papam, vt domum eius Ecclesiam consecraret, rogauit, vt in actis S. Marcelli habetur, quorum hæc sunt verba. Eodem tempore, B. Lucina fecit donationem de facultate sua, & ex omnibus, quæ habuit, Ecclesiæ Catholicæ; hoc audiens Maximianus Augustus indignatus proscriptione eam damnauit; illa autem rogauit S. Marcellum Episcopum, vt domum eius Ecclesiam consecraret, quod cum omni deuotione fecit Marcellus Episcopus. At vbi frequenter in eadem domo celebrasset in media Ciuitate via * lata, & audiret hoc Maximianus Augustus, iratus præcepit, vt in eadem Ecclesia plancæ sternerentur ad animalia, stabulanda, & eundem Marcellum ad seruitium animalium deputauit.] Vtraque autem Ecclesia in ueteri, & Cæciliæ, & Lucinæ domo, exædificata etiam nunc remanet, & Presbyteri Cardinalis titulo decoratur.

*Acta S. Marcelli Sur. tom 1. 16 Ianua.*

* Irrepsit eror in aliquibus codicib°, vt nō via lata, sed latina perperam legatur.

VR-

60 VRBANVS PAPA CORPVS EIVS AVFERENS CVM DIACONIBVS NOCTE SEPELIVIT EAM. Non dedignabantur Sancti illi priſci Pontifices, quibus nulla alia, quam cultus, & gloriæ Dei cura imminebat, Martyrum, & Confeſſorum corpora proprijs manibus ſepelire; legimus enim Euthychianum Pontificem trecentos, & quadraginta duos Martyres, & Calliſtum in Cœmeterio ſuo multa Sanctorum corpora ſepeliſſe, ſed de his fuſius in libro de Cœmeterijs agemus.

61 INTER COLLEGAS SVOS EPISCOPOS, ET MARTYRES. In Cœmeterio nimirum Calliſti, quod & Prætextati, & S. Sixti dicebatur via Appia, quod poſtea etiam Cœmeterium ad Sanctam Cæciliam dictum fuit, in quo perſeuerat adhuc loci B. Cæciliæ memoria: qua de re infra in notis ad literas Paſchalis Papæ de reuelatione, & inuentione corporis S. Cæciliæ dicemus. Quia verò in dicto Cœmeterio plerique Pontifices Confeſſores, & Martyres iam depoſiti fuerant: idcirco hic Vrbanum Papam B. Cæciliæ corpus inter collegas ſuos Epiſcopos, & Martyres depoſuiſſe dicitur.

62 SANCTAM ECCLESIAM SVO NOMINE CONSECRAVIT. Eccleſias conſecrandi conſuetudinem ab ipſis Apoſtolis fluxiſſe ex S. Clementis ad Iacobũ Fratrem Domini, aliorumque Patrum teſtimonijs pluribus probat Io. Stephanus Durantes de Eccleſiaſticis ritibus, vbi etiam de priſcis cæremonijs in Eccleſiarum dedicationibus. Porrò dedicandi ritus viguit etiam apud Hæbreos, vt Genes. 28. Exod. 40. 3. Reg. 8. Sed et Ethnici templa, & aras Dijs ſuis dedicabant, & propterea fana dicta ait Varro, quod Pontifices in ſacran-

*S. Clemens Epiſt. 2. ad Iacob Fratrem Domini.*

*Io Steph. Durant. li. 1. cap. 24.*

*Varro lib. 5. de ling. latina.*

crandò fati ſunt finem, verbis enim ſolemnibus præibant Pontifices, alijſque vtebantur ritibus in dedicatione, vt ex Cic. in orat. pro domo ſua, & lib. 2. de leg. Valerio Maximo lib. 5. cap. 10. & ex Liuio lib. 1. dum de Romulo, & lib. 9. dum de Cn. Flauio agit. Seneca lib. de conſolat. ad Martiam. Plutarcho in Publicola, Tibullo, lib. 4. elegiar. Ouid. lib. primo faſtorum, & quamplurimis alijs veteribus Auctoribus conſtat.

*Expliciunt nota ad Paſſionem Sanctæ Cæciliæ, & Sociorum.*

AD

AD PASSIONEM

# SS. VRBANI PAPAE, ET SOCIORVM MARTYRVM.

ANTONII BOSII I.V.D.

Notæ.

1 PASSIO S. VRBANI. B. Vrbani martyrium, itemquè S. Cæcilię, vt suprà adnotauimus à Mariano Scoto Anno Domini CCXXXV. designatur; in quo non longè ab Eusebio recedit, qui Pontiani successoris ingressum sequenti anno CCXXXVI. constituit. Vincentius Bellouacensis in specul. & post eum S. Antoninus Vrbanum anno Domini CCXXX. passum scribunt. Illustrissimus autem Cardinalis Baronius hanc S. Vrbani passionem collocat sub Anno Domini CCXXXIII. Alexandri Imperatoris anno decimo, Pompeiano, & Feliciano Coss. cum quidem anno proximè superiore passam S. Cæciliam tradidisset. Etenim cum S. Cæciliam circa finē Vrbani Pontificatus martyrio coronatam superius in notis ad eius passionem ostenderimus, eiusque natalis x. Calendas Decembris, Vrbani vero octauo Calendas Iunij celebretur, manifestè apparet, non eodem Dominicæ Natiuitatis anno, vt in Scoti, & aliorum quorundā Chronicis legitur; sed intra quidem anni circulum sex dumtaxat

*Marianus Scotus in Chron. Euseb. in Chron. Vincent. in spec. lib. 12. c. 25 S. Antoni. tom. 1. tit. 7. c. 6 §. 19. Illust. Car. Baron. Annal. Eccl. tom. 2.*

taxat menſium, & duorum dierum interuallo vtramque paſsionem accidiſſe.

2 MAMMEA MATER. Mammea Alexandri Seueri Imperatoris Mater, vt teſtis eſt Euſebius, virtute, & pietate ſpectatiſsima, vita, & moribus cùm primis religioſa, & vt ab Herodiano appellatur, laudatiſsima fœmina fuit; quæ Origenis fama audita eum ad ſe accerſit, qui apud eam, vt idem tradit Euſebius, multa, quæ ad gloriam Domini, & diuinæ eius diſciplinæ amplitudinem ſpectant, expoſuit: Ideoquè Mammea Chriſtianorum fautricem ſe ſemper oſtendit, ſicut & Alexander ipſe filius, qui vt Aurelius Victor, Caſsiodorus, Eutropius, & plerique alij teſtantur, Matris cultu vnicè pluſquam pius fuit; ita vt eo imperante (teſte Lampridio) Chriſtianos liberè verſari paſſus fuerit, & Chriſti Imaginem, vt alibi diximus, in lararío ſuo habuerit; immo templũ ei, ſicut cæteris Dijs, erigi, eumque inter Deos recipi iuſsiſſet, niſi ab ijs fuiſſet prohibitus qui (vt idem Lampridius refert) ſacra conſulentes, repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatò eueniret, & templa reliqua deſerenda; quod poſtea euenit vaticinium.

*Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 6. c. 4.*
*Herodian. lib. 5.*
*Euſeb. vbi ſupra.*
*Victor in Alex. Caſſiad. in Chron. Eutrop. lib 8.*
*Lampрid. in Alex.*

3 ALMACHIVS VRBIS PRAEFECTVS INEOS TYRANNIDEM EXERCEBAT. Hic ſolutam habes difficultatem illam, quare cum Alexander, vt ſuperius oſtendimus, Chriſtianæ Religionis fautor eſſet, multi tamen eo imperante Martyres paſsi legantur, vt in notis ad S. Cæciliæ paſsionẽ animaduertimus; licet enim ab Alexandro nulla noua, vt à Prædeceſſoribus ſuis actũ eſt, in Chriſtianos fuerit excitata perſecutio; leges tamen contra eos iam editæ à Præfectis Vrbi, quibus circa hæc omnimoda poteſtas, vt iam oſtenſum fuit, erat tradita, exequutioni demandabantur, eo maximè tempore, quo Alexander bellicis occupationibus diſtinebatur; Ideoque

cum

cum multos Martyres sub Alexandro passos legimus, id Præfectorum, & aliorum Ministrorum opera, & eorum potissimum, qui Christianorum hostes, vt Almachius hic, erant, factum esse dicendum est, vt doctissimè etiam animaduertit Illustrissimus Cardinalis Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis.

*Baron sub die 1 Ian. & Annal. Eccl. to. 2.*

4 CVM TRIBVS DIACONIBVS, ET DVOBVS PRESBYTERIS. Horum nomina, licet hic non exprimantur; attamen, vt ex huius passionis serie colligi potest, hæc sunt, Marcialis, Lucianus & . . . . . Diaconi, Ioannes, & Mamilianus Presbyteri. Non me latet in actis S. Vrbani, quæ in historiali speculo Vincentij Bellouacensis, & in historia S. Antonini Archiepiscopi habentur, Vrbanum Papam cum tribus Diaconibus, & tribus quòque Presbyteris, & non duobus tantum, vt hic, à Carpasio captum narrari.

*Vincent. Bellouacē. tom 2. lib. 12. c. 25. S. Antoni. to. 1. tit. 7. c. 6. §. 19.*

5 PALATIVM VESPASIANI. Domus Ti. Vespasiani intelligitur, quæ à Publio Victore collocatur in Regione Isidis, & Serapidis iuxta eiusdem Titi Thermas. Vetus autem Flauiæ Gentis, & Vespasianorum domus ab eodem Victore collocatur in Regione altæ semitæ, quam, vt scribit Suetonius, Domitianus vertit in Templum, sæpe à Martiale celebratum, qui inter cætera.

*Hic steterat veneranda Domus, quæ præstitit Orbi*
*Quod Rhodos astrifero, quod pia Creta polo.*

*Sueton. in Domit. c. 1. Martial. lib. 9. Epigram. 21.*

Fuit & alia domus propè Septizonium vetus, in qua natum esse Titum Vespasianum, quamq; adhuc suo tempore ostendi solitam, scribit Suetonius.

*Suet. in Tito c. 2.*

6 DANTES MVNERA CARCERARIO NOMINE ANOLINO INTRAVERVNT AD SANCTOS. Sedula quidem Maiorum nostorum erga ipsos Martyres, & Confessores in carcere detentos cura fuit, illos ne dum

sæpe

sæpe in carceribus visendo, sed omnia eis quòq; necessaria suppeditando; extat insignis B. Cypriani epistola Presbyteris,& Diaconibus scripta de diligentia erga Sanctos Martyres carcere cõclusos pręstanda, in qua inter cętera: Quamquam (inquit) sciam vos fratres charissimi literis meis frequenter admonitos esse, vt glorioſa voce Dominum confessis, & in carcere constitutis, omnis diligentia prębeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit ijs, quibus ad gloriam nihil deest.] Tertullianus quòque: Ipsam interim (inquit) conuersationem sæculi, & carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit; immo, & quæ iusta sunt caro non amittit, per curam Ecclesiæ, & agapen Fratrum.] Huius etiam consuetudinis meminit Origenes in Leuitico, de qua sæpe inactis Martyrum; In quibus præterea legitur ipsa Martyrum vincula osculari moris fuisse, de qua re etiam Tertullianus meminit his verbis: Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur? iam vero alicui fratrum ad osculum conuenire, aquam Sanctorum pedibus offerre.] & quæ sequuntur.

*S. Cypria. epist. 37.*

*Tertull. li. ad Matyr. c. 2.*

*Origen. homil. 1. in Leuitic.*

*Tertull. li. 2. ad Vxor.*

7 BENEDICTIONEM A SVMMO PRAESVLE DEPOSCEBANT. Insignis locus de antiquissimo vsu benedictionis, quæ datur à summo Romano Pontifice; de benedictione autem, & eius ritu etiam in veteri testamẽto à Sacerdote, & in nouo ab ipso Christo obseruato plura testimonia refert Ioan. Stephanus Durantes de ritibus Ecclesiasticis lib. 2. cap. 57. vbi & de Episcopali benedictione.

8 DANTES INVICEM PACIS OSCVLVM. Osculi pacis, quod carcere concluſis dabatur, meminit Tertullianus illis verbis, quæ supra adduximus; Pacis autem osculum (quod & in missa datur) sibi inuicem dare obseruа-

*Tertull. lib. 2. ad Vxor.*

ſeruabãt Chriſtiani, teſte Alcuino, ex Apoſtolorum traditione, cum frequenter ab eis dicatur: Salutate vos in oſculo ſancto.] Sæpiſſime in actis Martyrum legimus poſt orationem, vt hic, ſe inuicem oſculatos, vt præcipuè in actis S. Suſannæ, in quibus habes Sanctos poſt orationem à Gabinio datam inuicem ſe amplexos, & oſculatos; cuius quòq; conſuetudinis meminit S. Iuſtinus Martyr his verbis: Poſt precationem nos ſalutamus oſculo mutuo], & Tertull. alia (inquit) conſuetudo inualuit ieiunantes habita oratione cum fratribus ſubtrahũt oſculũ pacis, quod eſt ſignaculum orationis. ] De hoc demum pacis oſculo S. Paulinus Nolanus ita.

*Alcuin. de diuin. offic.*
*Ad Rom. 16. 2. ad Corinth. 16. 1. ad Theſal. vlt.*
*Acta S. Suſannæ. Sur. tom 4. 11. Aug.*
*S. Iuſtin. Apoleg. 2.*
*Tertull. de orat. . . .*

*Tunc ambo nexi ad inuicem dextras damus*
*in oſculo pacis ſacræ.*

*S. Paulin. in carm. ad cyther.*

Quando autem, & à quo pacis oſculum in Miſſa fuerit inſtitutum, & quo ordine antiquitus daretur, & quibus, & quando dari prohibitum ſit, latè tradũt Alcuinus de diuinis officijs, Amalarius Fortunatus de Eccleſ. offic. lib. 3. cap. 32. & 34. Vualfridus Strabo de reb. Eccleſiaſt. c. 12. & nouiſsimè Ioannes Stephanus Durantes de ritibus Eccleſiaſticis lib. 2. cap. 54.

9 AD CARPASIVM VICARIVM. De alio Carpaſio Vicario habetur in actis S. Marcelli Papæ, & de Cereali Vicario in actis S. Getulij, & Sociorum, qui ab Hadriano Imperatore ad B. Getulium comprehendendum miſſus, & Chriſtianus poſtea, & martyr effectus eſt; De Flauiano quòq; Vicariam Præfecturam agente mentio fit in dictis actis S. Marcelli, & de Artemio Vicario Præfecti meminit Ammianus Marcellinus in initio lib. 28. & lib. 17. Dum hæc aguntur (inquit) Romæ Artemius curans Vicariam Præfecturam pro Baſſo quòq; agebat, qui recens promotus Vrbi Præfectus fatali deceſſerat ſorte.] De Vicario demum hæc habet Caſſiodor. Vices (inquit) agentium mos eſt ſic Iudicum voluntatibus obedire, vt

*Acta S. Marcell. Sur. tom. 1. 16. Ianua.*
*Acta S. Getulis apud eundē tom. 3. 10. Iunij.*
*Ammian. Marcell. li. 28. & lib. 17.*
*Caſſiod. lib. 6. de formul. Vic. Vrb.*

ſuas non habeant dignitates, ſplendent mutuo lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur eſſe veritatis, qui proprij non habent iura fulgoris; Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia non relinquis, quando propria eſt iuriſdictio, quæ datur à Principe, habes enim cum Præfectis aliquam portionem :] & quæ ſequuntur; vbi de Vicarij officio, dignitate, & iuriſdictione, qui Vicarius propterea eſt appellatus, quod Præfecti vices gereret. Habes apud Alciatum multa de iuriſdictione Vicarij Iudicis ordinarij in rubr. de off. Ordin. de Vicarijs Præf. Prætor. habes in l. à proconſulibus C. de appellat. in l. 1. C. de offic. Vicar.

10 TRES TRIBVNI. Cum varia genera fuerint Tribunorum; temporibus autem Cæſarum Tribunatus militaris frequentior eſſet, veriſimile eſt hos tres Tribunos militares fuiſſe; ijs autem cuſtodia interdum carcerum, & animaduerſio in damnatos mandabantur, vt iam inde à temporibus Neronis teſtatur Tacitus, Plautium Lateranum manu Statij Tribuni trucidatum; Subrij Flauij pœnam Veianio Nigro Tribuno mandatam; Meſſalinam quòque ictu Tribuni tranſactam. Fortè autem hi tres Tribuni, de quibus hic agitur, inter ipſas cuſtodias, & ſuppli cia Chriſtianorum; eorum innocentia, & virtutibus cognitis, ad Chriſti fidem amplectendam conuerſi ſunt.

*Tacit. lib. 15.*

11 CORRVENTES AD PEDES S. VRBANI Vetuſtiſſimus mos Romani Pontificis pedibus prouoluendi; ita etiam Cornelius Centurio ad B. Petri pedes procidens adorauit eum, vt habetur Act. c. 10. ad B. Petri quòq; pedes procidens Sanctus Clemens ſe excuſabat Cathedræ honorem declinans: Ad S. Stephani Papæ pedes etiam eius Clericos, & cæteros Chriſtianos corruentes ſæpe legimus in eius actis. Ad ipſius enim Chriſti pedes prouolui ſolebant Apoſtoli; vt habetur Matth. c. 28.

*S. Clem. Epiſt. 1. ad Iacob Fratr. Domini.*

c.28. Ac propterea non immeritò,& ad ipſius Vicarij pedes procidendi, illoſque oſculandi emanauit conſuetudo,vt declarat Innocentius Tertius Papa his verbis : Cæterum Subdiaconus, vel Diaconus non manus,ſed pedes Romani Pontificis oſculatur, vt ſummo Pontifici ſummã exhibeat reuerentiam, & eum illius oſtendat eſſe Vicarium, cuius pedes oſculabatur mulier illa, quæ erat in Ciuitate peccatrix; adorandum eſt enim ſcabellum pedum eius,quoniam ſanctum eſt ; cuius pedes tenentes mulieres Reſurgentem à mortuis adorauerunt.] Ethnici etiam Imperatorum pedibus aduolui, illoſque oſculari conſueuerunt,vt ex Seneca,& pluribus alijs colligitur; Hinc Leo Papa Nonus:Sic æquum (inquit) profectò, vt ibi oſcula Romani Pontificis pedibus iaciant,vbi & olim Imperatoribus imprimebãt.] Romani autem Pontificis pedum adorationem,vt declarant Doctores,diuinitus eſt vaticinatus Iſaias Propheta, cum dixit: Et venient ad te curui filij, qui humiliauerunt te,& adorabunt veſtigia pedum tuorum.] Qui autem plura de oſculo, & adoratione pedum deſiderat, legat libellum de adoratione pedum Ioſephi Steuani Valentini.

*Innoc.III. lib. 2. myſter. Miſſ. c. 37.*

*Senec. lib. 2. de benef. c.12. Leo 9. in Epiſt. contrapræſumpt Michael c. 13. Iſa. 60.*

12 MISIT SE AD PEDES B. VRBANI. Multos carcerum cuſtodes admiranda, quæ a Chriſtianis agebantur videntes,ad Chriſti fidem conuerſos legimus; Ad Apoſtolorum pedes corruit Stephanus cuſtos carcerum cum terræmotu concuti omnia ſentiret Act. 16. Beatiſſimi Martyres Proceſſus,& Martinianus,cum ad Apoſtolorum Petri,& Pauli cuſtodiam Romæ eſſent deputati, vidẽtes mirabilia,quæ per Apoſtolos fiebant, ad eorum pedes procubuerunt,& ab eis baptizati martyrio demum coronati ſunt; Milites etiam, qui vnà cum Cereali S. Cornelium Papam cuſtodiebant,ſe ad ipſius pedes poſuerunt baptiſmũ petẽtes, vt in antiquis actis manuſcriptis S. Cornelij Papæ.& his ſimilia in actis Martyrũ innumera leges.

*Acta. SS. Proceſſ. & Martin. Sur.tom.4. 2. Iul.*

*Acta S. Cornelij Papæ in ueteribus mſ. Codic.*

13 CHRISMATE CONSIGNAVIT, ET CVM DIES FACTVS ESSET, MISSARVM SOLENNIA CELEBRANTES PANE COELESTI REFECTI SVNT. Sacro chrismate baptizatos linire, & post baptismum Missas celebrare, atque baptizatis viuificam cõmunionem tradere est antiquissimus Ecclesiæ ritus; quod etiam factum legitur in actis S. Susannæ à S. Caio Papa, & Gabinio Presbytero, cum Claudius, & eius vxor, atque filij baptizati fuere; eorum autem verba hæc sunt: Eadẽ hora B. Caius Episcopus liniuit eum (scilicet Claudium) chrismate, baptizauitq; eius vxorem Præpedignam, & filios Alexandrum, & Cuthiam, quos Gabinius Presbyter è baptismo suscepit, obtulit verò pro illis sacrificium in eadem domo, & consecrauit corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & lac & mel, & fontem, participauitq; cum omnibus mysterium Dei. ] In actis SS. Hippolyti, Eusebij & Sociorum, vbi Eusebius Presbyter Pontianum baptizat, postquam eum baptizauit, sic dicitur: Tunc Eusebius obtulit sacrificium, & participati sunt omnes corpore, & sanguine Christi. ] Ibidem de B. Stephano Papa, cum Neonẽ puerum, & Mariam puellam baptizasset additur: Et obtulit pro eis sacrificium, & participati sunt omnes. ] & in actis eiusdem S. Stephani ita legimus: Facto sequenti die conuentu in eadem crypta (scilicet Nepotiana) inuenti sũt promiscui sexus viri, & mulieres numero centum, & octo: quos omnes idem Stephanus in nomine Domini nostri Iesu Christi baptizauit, & signo sacri mysterij consecrauit; obtulitque pro eis sacrificium, quo participati sunt omnes. ] B. Sixtus Papa etiam Cerealẽ Vicarium baptizauit, & deinde pro singulis (vt dicitur in actis S. Getulij) obtulit sancta libamina, & participes eos fecit Sacrosancti corporis, & sanguinis Christi: ] Similiter quòque Maximus Episcopus, quando Basilium magnum in Iordane baptizauit, eũ chrismate vnxit, ipsiq; viuificam tradidit communionem, vt in eius actis ab Amphilo-

*Acta S. Susannæ Sur. tom. 4. 11 Aug.*

*Acta S. Hyppolyt. & Soc. in ms. eod & apud Sur. tom. 4. 25. Augusti.*

*Acta S Stephani in ms. Codic.*

*Acta S. Getulij Sur. tom. 3. 10. Iunij.*

philochio cõſcriptis . De ſacro chriſmate,quo baptizatus perungitur meminit Tertullian. de baptiſm. c.7.Gregor. Nazianz. in orat. in ſanctum baptiſma. S.Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 26. & lib.4. de Symbol. cap. 1.Iuſtinus martyr quęſt. 137. & multi alij Patres , quos habes à Pamelio citatos ſuper dicto c.7. Tertull.de baptiſmo.

*Acta S. Baſilij Sur. to. 1. 1 Ian.*

14 ANOLINVM COMMENTARIENSEM NOSTRVM. Commentarienſis hic pro cuſtode Carceris accipi ſatis liquet ex ſuperioribus verbis, cum idem Anolinus carcerarius appellatur;quod autem Commentarienſi carcerum cuſtodia eſſet commiſſa,Valentiniani,Valentis, & Gratiani Imperatorum ad Probum Præfectum Prætorio reſcripto declaratur his verbis: Ad Commẽtarienſem receptarum perſonarũ cuſtodia,obſeruatioq; pertineat. ] quo reſcripto Commentarienſem eadem conſumi pœna, qua obnoxius erat reus, qui de carcere aufugerit,præcipitur; Commentarienſis enim carceris rationem accuratiſſimè conficiebat,hinc Cicero:Cedo(inquit) rationem carceris , quæ diligentiſſimè conficitur , quo quiſque die datus in cuſtodiam , quo mortuus , quo necatus ſit . ] Sed de hoc extat quòq; Gratiani, Valentiniani , & Theodoſij conſtitutio hæc : Iubemus autem , vt intra triceſimum diem ſemper Commentarienſis ingerat numerum perſonarum,varietatemq; delictorum,clauſorum ordines, ætatemq; vinctorum . ] Accurſius autem Commentarienſem ideo Principem carceris appellatum putat , quia comitari debebat eum, quem cuſtodiebat ; Budeus verò Commentarienſem,eo quia in commentarium cuſtodias referebat, dictum rectius animaduertit ; de Commentarienſi quòq; meminit Vlpianus Iuriſconſultus,cum de veſtibus, & pecunijs ad mortem damnatorum loquitur ; hanc rationem (inquit) non compendio ſuo debent Præſides vertere , ſed nec pati optiones, ſiue Commentarienſes pecunia abuti. ]

*Valentin. reſcript. in l. ad Commentarienſem C. de cuſtodia reorum ,*

*Cic. lib. 7. in Verr.*

*Gratiani reſcript. in l. de his C. de cuſtod. reorum.*

*Accurſ. in l. ad Commentarienſem C. de de. cuſtod. reor.*

*Vlpianus in l. diuus ff. de bon. damnator.*

abuti. ] Commentarienſis vnà cum cornicularijs, clauicularijs, & alijs, quibus damnatorum cura committebatur connumeratur à Iul. Firmico. Habebant autem Commentarienſes Adiutores, vt ex dicto Valentiniani reſcripto colligitur; quo Adiutor quòq; Commentarienſis, ſi reus aufugerit, eadem, qua ſupra ipſe Commentarienſis, pœna damnatur his verbis : Si vero Commentarienſis neceſſitate aliqua procul ab officio egerit, Adiutorē eius pari iubemus inuigilare cura, & eadem ſtatuimus legis ſeueritate conſtringi. ] De Commentarienſi ſæpiſſime fit mentio in actis Martyrum, ex quibus varia Commentarienſium munera colliguntur; aliquando enim ad comprehendendos reos mittebantur, vt in actis S. Porphyrij; aliquando autem in carcere incluſos ad Tribunal Præfecti ducebant, vt in actis S. Guriæ, & multis alijs in locis, exquibus Commentarienſem criminis reos aliquando torquere; quandoq; vt damnati punirentur, & Iudicis ſententiæ exequutioni demandarentur, curaſſe apparet. Non eſt etiam prætermittendum Tabularios, ſiue Actuarios, qui publicas literas perſcribebant, atq; aſſeruabant, commentarienſes eſſe appellatos, de quibus Paulus Iuriſconſultus in l. in fraudē §. à debitore ff. de Iure fiſci. Actuarij etiã, qui Militibus annonam diſtribuebant, commẽtarienſes dicebãtur, de quibus toto tit. C. de erog. milit. annon.

*Iul Firmic. lib. 1. Matheſ. c. 6.*

*Acta S. Porphyrij Sur tom 1. 26 Febr. Acta S Guria Sur. tom 6. & Lipom. to. 3. ſub die 15. Nou.*

15 IVXTA PAGVM, VBI DICEBATVR LOCVS TRVCIDATORVM. Ad hunc eundem Pagum Beatos Martyres Tiburtium, & Valerianum ductos, & Ioui ſacrificare renuẽtes capite plexos in ſuperioribus S. Cęciliæ actis legimus. Ob magnam autem Chriſtianorum [illegible], qui eo in Pago trucidabantur multitudinem, locum illum Trucidatorum appellatum cenſeo, cum enim ibidem Iouis Templum eſſet, & quicunq; ei tura non poneret, puniretur, vt in dictis S. Cæciliæ actis narratur, innumeros propterea Chriſtianos ibidem necatos veriſimillimum eſt.

Ob

Ob similem autem Martyrum carnificinam pluribus etiã alijs locis certa nomina indita legimus, vt ei, qui macellũ Martyrum adhuc nuncupatur in Foro Neruæ: vt ad septẽ Biothanatos, de quo in actis S. Symphorosæ: & ad petram sceleratam, cuius loci mentio fit in actis manuscriptis SS. Eusebij, Põtiani, Peregrini &c., & in manuscriptis etiam, & antiquissimis actis alterius Eusebij, qui simul cum Hippolyto passus est sub Valeriano.

16 EXTENSOS IN TERRA FVSTIBVS DIVTISSIME CAEDI. De fustibus, & virgis satis supra in notis ad Passionem S. Cæciliæ. Quod autem hic dicitur Sanctos in terra extensos cæsos fuisse; sciendum est, Martyres in terra extensos supinos in ventrem aliquando cæsos, vt colligitur ex actis S. Anastasij; quandoq; autem deorsum in humeros diu cæsi in alteram versi partem cædebantur, vt de S. Dula Martyre eius acta testantur. Interdum verò supra solum testis fractis, & acutissimis constratum Martyres extensi verberabantur, vt legitur in actis S. Anthimij Episcopi, & Martyris. Quandoque tamen Martyres non in terra extensi, sed in aerem suspensi, & præcipites aliquando cædebantur, vt habetur in actis S. Bonifatij Martyris. Sæpe etiam stipiti, vel columnæ alligabantur ad similitudinem Seruatoris nostri Iesu Christi; de quibus varijs, & diuersis cædendi ritibus vide in libello de Martyrum cruciatibus authore R. P. Antonio Gallonio Congregationis Oratorij Presbytero.

*Acta S. Anastasij Sur. to. 1. 22. Ianu.*
*Acta S. Dulæ. Sur. tom. 3. 15. Iunij*
*Acta S. Anthimij Episcop. Sur. to. 2. 27 April.*
*Acta S. Bonifatij Martyr. Sur. tom. 3. 5. Iunij.*

17 VNVS DE DIACONIBVS ERECTIS AD CAELVM OCVLIS EMISIT SPIRITVM. Hic huius Diaconi nomen non exprimitur, fuit tamen S. Lucianus Diaconus, vt colligitur ex illis verbis, quæ subduntur: Ministri Diaboli iactauerunt corpus S. Luciani de tribunali &c. ] Et clarius in ea S. Vrbani vita, quę apud Vincentium Bellouacensem, & S. Antoninum habetur his verbis: Tunc Almachius timore, & anxietate confectus iubet San-

*Vincentius Bellou. in speçul. hist. li. 12 c 25. S. Antonini tom. 1. tit. 7 c 6. § 19.*

Sanctos cum iniurijs induci,& plagis grauiſſimis laniari, vbi dum beſtialiter carperentur, Lucianus Diaconus inter manus cre dentium migrauit ad Dominum, cuius corpus toto die iuſſu Præfecti inhumatum ſtetit, donec Fortu natus Presbyter noctu ſepeliuit. ]

18 SCORPIONIBVS EVM CAEDITE. Virgæ illç,quæ nodoſæ,vel ſpinoſæ,& aculeatæ eſſent,ſcorpiones dicebantur. Virgæ (inquit Iſidorus ) ſunt ſummitates frondium, arborumq;,ſi lenis fiat,virga eſt ; ſi autem nodoſa,vel aculeata,ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, qui acuato vulnere in corpus infligitur ] ita etiam interlinearis Gloſa in illud lib.Reg. Pater meus cæcidit vos flagellis,ego autem cædam vos ſcorpionibus: Sunt(inquit) ſcor piones etiam flagella, ſed quibus additi ſunt aculei, & ſpinarum punctiones.]Plinius autem:Et intormentis(ait) ſcorpionem Cretas inueniſſe ferunt. ] Etenim ſcorpio erat quòq; bellicum tormentum,ſeu militare telum,cuius forma deſcribitur ab Ammiano Marcellino lib.23. cuius etiam meminit lib. 31. in fine, qui & lib. 19. ſcorpionum ferreas fundas appellauit. Cæſar etiam de bello gallico: Scorpione (inquit) ab latere dextro traiectus concidit.] Et Oppius de bello ciuili:Scorpione accuratius miſſo,atq; eorum Decurione percuſſo, & ad terram defixo. ] Sed quod ad rem noſtram ſpectat ſcorpionibus, ideſt nodoſis, & aculeatis flagellis SS. Claudium, Nicoſtratum,Simpho rianum,Caſtorium, & Simplicium Martyres cæſos fuiſſe ſcribit Ado; de quo etiam ſæpiſſime in actis Martyrum.

*Iſidor. lib. 6. etimol. c. vlt.*

*3. Reg. 12.*

*Plin. lib. 7. c. 56.*

*Ammian. Marcell. lib. 23. & 31.*

*Caſ. lib. 7. bell. Gallic.*

*Oppius lib. 3. belli ciuil.*

*Ado in Martyrol. ſub die 8. Nouemb.*

19 SEPELIVIT IN CRYPTA IN COEMETERIO PRAETEXTATI: Ea loca, in quibus SS. Martyrũ, aliorumq; fidelium mortuorum corpora ſepulturæ mandabãtur,primarij Religionis noſtrę Patres Cœmeteria appellare conſueuerunt,cuius rei & in actis Martyrum, & in ſacris Martyrologijs innumera reperiuntur teſtimonia; ſicuti

ſicut etiam apud Tertullianum, Athanaſium, Clementem, Cyprianum, cæteroſq; Patres Cœmeterium vox eſt frequentiſſima. Dicuntur autem Cœmeteria à verbo græco κοιμάω, quod eſt dormio, dormire enim mortui in ſacris literis dicuntur: Ecce (dixit Deus Moyſi) dormies cum Patribus tuis.] & apud Iſaiam: Omnes Reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria.] & in Machab. mors ipſa dormitio appellatur, & apud S. Io. D.N. Ieſus Chriſtus de Lazaro mortuo dicit: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno exuſcitem eum.] Porrò a fidelibus dormire mortui dicuntur ob ſpem futuræ reſurrectionis, vt S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Apollinarius, cæteriq; teſtantur: mortui enim tamquam dormientes è ſomno ad cæleſtis tubæ ſonitum ſunt euigilaturi.

*Tertull lib. de Anima c. 51.*
*Athanas in Apolog. ſua*
*S Clemens. Cōſt. Ap. li. 6 c 30.*
*S Cyprian. epiſt 82.*
*Deuter. c. 31.*
*Iſaias 14.*
*2. Mach. 12.*
*Ioan. 11.*
*S Hier. in epiſt. Paul. ad Theſſal. 4*
*S Auguſtinus ep 122.*
*Apollin. ad c. 3 Iob.*

Cœmeteria autem, qualia ſint, optimè deſcribuntur à S. Hieronymo, qui ea ſæpe viſere, dum eſſet puer, ſolebat, & à Prudentio in paſſ. S. Hippolyti. Sunt enim cœmeteria loca ſubterranea, ſiue ſpelunças, ſiue cryptas ea propriè appelles, innumeris vijs, & angiportis, ac frequentibus reflexibus, & cuniculis, labyrinthi cuiuſdam inſtar, diſtincta, ita vt per ea ambulantes, ſi redeundi viam inuenire velint, Theſei exemplo, filo duce vti cogãtur; in quorum parietes excauata ſunt hinc inde loca veluti armaria defunctorum cadaueribus excipiendis, quæ plerumq; teſtaceis tegulis, plerumq; marmoreis tabulis occludebantur, in quibus aliquando titulus in ipſa circumambiente loculum calce ferreo ſtylo impreſſus, aliquãdo epitaphiũ, vel epigramma in ipſis marmoribus, vel tegulis inciſum, & quandoq; rubeis, ſeu aureis literis inſcriptum ponebatur; licet plurima ſine aliquo titulo, & epitaphio muta monumenta relicta appareant, quæ omnia à Prudentio in dicta paſſione S. Hippolyti eleganter deſcribuntur.

*S. Hie tom. 4 ſuper Ezech c 4.*
*Prudent in hymno S. Hippolyti.*

Multa autem fuere Romæ eiuſmodi Cœmeteria; Eorũ pleraq; quorum iam prorſus notitia interierat, via Salaria & noua, & vetere, Nomentana, Tiburtina, Latina, Labicana,

bicana, Appia, Ardeatina, Oſtienſe, Aurelia, diuerſiſque alijs vijs, proprijs oculis ſæpius, atq; ſæpius luſtrauimus, licet foſſorum impietate, & Dominorum loci auaritia, quæ vſque ad ipſa terrę viſcera penetrauit, ita diruta, vt priſcis ornamentis denudata ſint. Inter quæ valde præcipuum, & amplum à nobis detectum cœmeterium SS. Martyrum Marcellini, & Petri, quod ſæpe cœmeteriũ inter duas lauros, ſæpe Cœmeterium Tiburtij, ſæpe etiam Cœmeterium Hęlenæ in tabulis vaticanis, & actis Martyrum inuenies appellatum: Hoc ergo nos poſt plurium annorum curricula primi, & detegere, & inuiſere meruimus; Extat enim tertio ab Vrbe milliario via Labicana in fundo iuris Baſilicæ Lateranenſis, in quo Eccleſiæ SS. Petri, & Marcellini, à Cõſtantino ædificatæ, & Mauſolei S. Helenæ Auguſtæ, forma rotũdi templi, vt à Nicephoro, & Damaſo traditur, veſtigia non mediocria adhuc remanẽt. Alia quòq; quamplurima Cœmeteria deteximus, de quibus in libro noſtro de ſacris Cœmeterijs; quem dum paramus, hæc tibi modo de eis in genere attigiſſe ſufficiat.

*Nicephor. lib. 8. c 31. Damaſ. in Syluęſtro.*

Quod autem attinet ad Cœmeterium Prætextati, de quo hic fit mentio; id, vt infra dicemus, erat via Appia, à quo antiquitus erat cõmunis aditus in Cœmeteriũ Calliſti, vel potius erat pars ipſius; de hoc Prætextati Cœmeterio habetur etiã in actis S. Alexãdri Papæ, in eo enim depoſitus fuit S. Quirinus Tribunus, & Balbina eius filia; dormierũt etiã in ipſo SS. Feliciſſimus, & Agapetus Diaconi, Ianuarius, Magnus, Innocẽtius, & Stephanus Subdiaconi Sixti ſecũdi Papæ; in eodẽ etiã ſepulta fuit S. Cæcilia, Tiburtius, & Valerianus, noſter hic Vrbanus, cũ ſocijs, & pleriq; alijs Martires; demũ Cœmeteriũ hoc nedũ Prætextati, ſed pluribus alijs nominibus appellabatur, de quo infra.

*Acta S. Alexãdri Papæ apud Sur. tom 3. die 3 Maij.*

20 AD TEMPLVM DIANAE DVCERENT. Huius Templi ſupra etiam meminit hæc paſſio, ad illud enim ductus Anolinus Commentarienſis, vt ſacrificaret,

idque

idque recusans propè eum est decollatus : Plura autem Dianæ Templa Romæ fuisse, ex Veterum monumentis colligitur: præcipuum Dianæ templum in Auẽtino fuit à Seruio Tullio, vt scribit Dionysius, collatis oppidatim pecunijs constructum, in quo fęderis leges conscripsit Ciuitatibus, rituſq; celebrandi festi, atq; fori constituit; cuius Tẽpli meminit Plutarchus, qui & rationem reddit, cur in hoc Auentini Dianæ Templo, boum cornua affigerentur, cum in reliquis Dianę Templis Ceruorum cornua suspendi solerent à Romanis. Erat etiam Templum Dianæ in vico patritio, de quo ita Plutarchus: De multis, quæ Romæ sunt Dianæ templis, id solum non intrant Viri, quod est in vico Patritio;] cuius rei rationem reddens: Narrant enim (inquit) Mulierem ibi Deæ cultum exhibentem à quodã vi fuisse compressam, eumq; à canibus discerptum, inde superstitionem natam, ne Viri eo intrarent ] Erat quòq; Dianæ fanum in Cæliolo, de quo ita Cicero: L. Pisonem quis nescit his temporibus maximum, & sacratissimũ Dianæ sacellũ in Cæliculo sustulisse ? ] quod templũ, vbi nunc est Ecclesia S. Io: ante portam Latinã, fuisse, pleriq; existimãt. Tẽplum vero Dianæ, ad quod, vt hic dicitur, ducti fuerũt ad sacrificandũ S. Vrbanus, & Socij via Nomẽtana extra Vrbem fuisse, ex eo existimamus, quia infra in his ipsis actis dicitur, eos decollatos fuisse extra dictum Templum, & in sacris Martyrologijs habeatur Vrbanum Papam via Nomẽtana martyrium consummasse, ex quibus necessariò sequitur, dictum Templum via Nomentana extitisse.

*Dion. lib. 4.*

*Plutarc Roman. quæst. 4.*

*Plutarch. vbi supra quæst 3.*

*Cic. in orat. de Aruspicum responsis.*

21 FLEVERVNT FLETV MAGNO. De fletu super mortuos sæpe in sacra Scriptura, vt de Abraham Genes. c. 23. Venitq; Abraham, vt plangeret, & fleret eã.] & lib. 2. Reg. c. primo. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesq; viri, qui erant cum eo, & plãxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsq; ad vesperam super Saul, & super Ionatham filium eius, ] & c. 3. Scindite

veſtimenta, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias ] & Act. c. 8. Curauerunt Stephanum, & fecerunt planctum ſuper eum. ] & Numer. c. 20. & Deutor. c. 34. Aaron,& Moyſis mors triginta diebus fletur;& apud Origenem priſcos Chriſtianos ſeptem diebus mortuos luxiſſe habetur, cum dicit: Luctus mortui fit ſeptem diebus, & ſeptẽ noctibus. ] ſed de his alibi à nobis fuſius dicetur.

*Orig. lib. 3. in Iob.*

22 VIRGAM, QVAM MANV TENEBAT AGITANS. De Virgis ſuperius latè diſſeruimus; Virgæ autem Magiſtratuum, quæ ex betulla erat, meminit Plinius nat. hiſt. lib. 16. c. 18.

23 INVICEM SE OSCVLANTES OSCVLO PACIS, ET MVNIENTES FRONTES SVAS VEXILLO CRVCIS CHRISTI. In hiſtoria Apoſtolica, quæ nomine Abdiæ Babylonici circũfertur,hæc de S.Apoſtolo Iacobo Zebedei filio habentur: Et perfudit (inquit) eum Iacobus,& dixit,da mihi pacis oſculum, cumq; oſculatus eſſet eum,poſuit manum ſuper caput eius,& benedixit eum,& fecit ſignaculum Crucis Chriſti in frõte eius, & haud mora ceruicem ſpiculatori porrexit.]Sed de pacis oſculo plura à nobis ſupra dicta ſunt; Viuificæ vero crucis ſigno frontes ſuas munire Sanctis martyrium ſubituris familiariſſimum fuit; ita à Tortoribus S.Martinæ ab ipſa ad fidem conuerſis actum legimus: Illi enim (dicitur in paſſione S.Martinæ) nihil territi,ſed Deum orantes,& crucis ſignum pingentes digitis in frontibus ſuis læti ictum Carnificis exceperunt. ] S. Pontianus quòque Martyr ſuper prunas nudis plantis ingredi iuſſus ſignum Chriſti in frõte ſibi fecit,& ſuper ardentes carbones nudis pedibus ambulauit, quod idem a S.Tiburtio actum eſſe referunt acta S.Sebaſtiani. Nedum autem martyrium ſubituri,ſed etiã Iudicibus ſiſtendi frontem cruce muniebant Martyres, vt habetur in actis SS. Theoduli, & Agathopodes. In tem-

*Abdias Babylon. lib. 4. hiſt. Apoſt.*

*Acta S. Martinæ Sur. tom. 1. die prima Ianuarij, et in manuſcriptis.*

*Acta S. Põtiani Sur. tom. 1. die 14. Ianuar.*

*Acta S. Sebaſtiani Sur. tom. 1. die 20. Ianuarij.*

*Acta S. Theoduli, &c. Sur to. 2 die 4 Aprilis.*

pla

pla Idolorum quòq; ingressuri ad sacrificandum ducti frõ tẽ cruce signabant, ita sæpissime in supradictis actis S. Martinæ,& in actis S. Iuliani; legimus etiam in actis SS. Terentij,& Africani, quod Martyribus cruce frontem signantibus Idola, in quæ insufflabant, corruebant. Verum non solum frontem, sed etiam pectus,& cor crucis signaculo muniebant aliquando, vt habetur in actis S. Demetrij Martyris,& S. Corbiniani Episcopi. S. Hieronymus quòq; in vita S. Paulæ, dum eam morituram scribit: Digitum (inquit) ad os tenens crucis signum pingebat in labijs. ] Totum etiam corpus cruce signare sępissime consueuerunt Sãcti, vt in actis S. Isidori, SS. Faustæ, Euelasij, & Maximini, S. Theodori,& S. Georgij Martyrum. Qui religiosus,& pius Christianorum ritus multis Patrum testimonijs comprobatur, de quo ita S. Cyprian. aduersus Iudæos c. 22. Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notentur apud Ezechielem dicit Deus; Transi mediam Hierusalem,& notabis signum super frontes virorum,&c. ] & epist. 56. Muniatur (inquit) frons, vt signum Dei incolume seruetur. ] Tertullianus quòq; de Corona milit. Ad omnem (inquit) progressum, atque promotum, ad omnẽ aditum, atq; exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lauacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quandocunq. nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. ] Prudentius etiam in hymno ante somnum.

*Acta S. Iuliani Sur. to. 1. die 9. Ianuarij.*

*Acta S. Terentij, &c. Sur tom. 2. die 10. Aprilis.*

*Acta S. Demetrij, &c. Sur tom. 5. die 8. Octobris.*

*S. Hieron. in vita S. Paulæ.*

*S Cyprian. aduersus Iudaos cap. 22.*

*Ezech. 9.*

*Tertull. de Corona milit.*

*Prudent. in hymno ante somnum.*

*Fac cum vocante somno,*
*Castum petis cubile,*
*Frontem, locumq; cordis,*
*Crucis figura signet.*

Et hæc inter innumera de hoc Patrũ testimonia sufficiant

24 CORPVS S. VRBANI IN SVPERIORI COENACVLO CONDIDERVNT. Quemadmodum superiores domus partes ex eo, quia in eis cœnare Antiqui consueuerunt, cœnacula sunt appellata teste Varrone lib. 4.

lib. 4. de lingua latina,& Vitruuio lib. 2. c. 8. Ita,& in Cœmeterijs ſuperiores eorum ordines, & viæ cœnacula dicta ſunt; Verum quia in eis erant aliquando duo, aliquando tres,& plerumq; quatuor ordines cryptarum, quorum alij alijs imminebant, vt in ipſis hactenus videmus; ideo hic in ſuperiori cœnaculo dicitur, ideſt in ipſa prima crypta, quæ iuxta Cœmeterij aditũ erat collocata, & ſupra ſe nullã aliam habebat. Hic locus poſtea à Chriſtianis religiosè cultus eſt, vbi vltra Cœmeteriũ & Eccleſia cõſecrata eſt, cuius mentio habetur in antiquis manuſcriptis indicibus ſtationum, & feſtorum per annum, qui in die natalis S. Vrbani Feſtum ad Eccleſiam eius via Appia deſignant.

25 CANTANTES, ET FVNERI EXEQVIAS PSALLENTES DOMINO PERSOLVEBANT. De hymnis, & canticis in funere defunctorum meminit S. Clemens Papa, cum dicit: Proq; fratribus noſtris, qui in Domino obierunt, & ante typum regalis Corporis Chriſti, acceptabilemq; Euchariſtiam offerte in Eccleſijs,& Cœmeterijs veſtris; atq; in exitu Mortuorum, pſallentes eos deducite, ſi fideles fuerint in Domino. ] De hymnis,& exequijs defunctorum ſæpe apud S. Io. Chryſoſtomũ,& præcipuè homil. 70. ad Populũ Antiochen. hæc habẽtur: Quid autẽ hymni, nonnè glorificamus Deũ,& illi gratias agimus, quia iã Defũctũ coronauit, abſoluit à laboribus, & ab incertitudine ſublatũ penes ſe retinet? nonnè hymni proterea? nõnè pſalmodiæ?] Verũ de hymnis, cãticis,& alijs cærimonijs in funeribꝰ à priſcis Chriſtianis adhibitis latè agemus in libro noſtro de ſacris Cœmeterijs.

*Clem. lib. 6. Cõſt. Apoſt. c. 29.*

*S. Io. Chryſ. homil. 70. ad Pop. Antioch.*

26 ABIIT CARPASIVS VICARIVS, VT TVRA DIIS IMPONERET, QVI STATIM A DIABOLO ARREPTVS EST. Hoc idẽ legitur in actis eiuſdem S. Vrbani apud Vincentiũ Bellouacenſem, & S. Antonin. vbi etiã miſeranda ipſius Carpaſij mors, quæ hic deſideratur his verbis narratur: Sed ſtatim Carpaſiũ vltio diuina ſubſequitur.

*Vincẽt. Bellou. in Spec. vol. 2. li. 12. c. 25. S. Antonin. hiſt. lib. 1.*

tur. Nã dum à cæde Sanctorum rediens Idolo quaſi victor ſacrificat, à Dæmone corripitur, Deos ſuos blaſphemãs, & Chriſtianos inuitus prædicans, & poſt paululũ ſuffocatur. Quod videns Marmenia vxor eius cũ filia ſua Lucina accedẽs ad Fortunatũ, & Iuſtinũ Presbyteros baptizatæ ſunt.] Diuina quòq; vltione mulctatus eſt alius Carpaſius Vicarius, cuius ſupra meminimus, (nã vt in eiſdẽ S. Marcelli Papæ actis legitur) cũ poſt Sanctorũ necem in domo B. Cyriaci, quã ab Imperatore impetrauerat, fontem Baptiſmi à S. Marcello Papa conſecratũ in balneum vertiſſet, exiens de balneo cũ ſocijs ſubitò mortuus cecidit, Carpaſio huic vt ſceleribus, immanitate, nomine, atq; officio, ita quòq; infelici exitu omnino perſimilis. Sed, & plures Pręſides, quod vexaſſent Chriſtianos, Deum vindicẽ ſenſiſſe teſtatur Tertullianus ad Scapulam, vbi de Saturnino, qui lumina amiſit, de Claudio Herminiano, qui viuus vermibus ebullijt, ac de Cæcilio Capella, & ipſo Scapula.

*Acta S. Marcelli Surius to. 1. 16 Ianuar.*

*Tertull. ad Scapul. c. 3.*

27 SEDIT ANNOS VIII. MENSES XI. DIES XII. Ita etiã habetur in ſuperiori vita Bibliothecæ Vaticanæ, quod cum Euſebio conuenire videtur, qui Vrbanũ annos nouẽ ſediſſe ſcribit in Chronico; Illuſtriſſimus tamen Cardinalis Baronius ex indicibus Vaticanis, & ijs, qui à Creſconio collecti ſunt, Vrbanũ annos ſex, mẽſes ſeptẽ, & dies quatuor ſediſſe in Annalibus Eccleſiaſticis notauit.

28 HIC FECIT MINISTERIA SACRATA OMNIA ARGENTEA, ET PATENAS ARGENTEAS VIGINTIQVINQVE APPOSVIT. In ipſis enim ſurgẽtis Eccleſię primordijs vaſa ſacra ad vſum diuinorũ Officiorũ vel lignea, vel vitrea erãt, quod etiã in paupertate Eccleſiæ diutius durauit, hinc eſt quod faciliter frangebãtur, vt de calice à Paganis fracto, & precibus à S. Donato reſtaurato meminit S. Gregorius; calices etiam frangi faciles commemorat Tertullianus, quo in loco Pamelius calices vitreos fuiſſe doctiſſimè animaduertit: de calice autẽ vitreo

*S. Greg. li. 1. Dialog. c. 7. Tertull. de Pudicitia c. 7. Pamel. Ibidem.*

treo clarius S.Hieronymus epiſt.4.ad Ruſticũ, & de pate-
*Damaſus ni Zepher.* nis vitreis ita Damaſus in vita Zepherini Papæ : Hic fecit conſtitutũ in Eccleſia, vt patenas vitreas ante Sacerdotẽ in Eccleſia Miniſtri ſupportarent,&c. ] Primus igitur Vrbanus Papa vaſa ſacrata,quę prius lignea,& vitrea erãt,ar
*Concil. Tribur.c.18.* gẽtea fecit,de quo ita Conc.Tribur.c.18. Vaſa,quibus ſacroſancta cõficiuntur myſteria,calices ſunt,& patenæ, de quibus Bonifacius Martyr,& Epiſcopus interrogatus,ſi liceret in vaſculis ligneis ſacramẽta cõficere,reſpõdit,quõdã Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebãtur,nũc è contra lignei ſacerdotes aureis vtuntur calicibus; Zepherinus xvi. Romanus Epiſcopus, patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit; Tũ deinde Vrbanus 18. Papa omnia miniſteria ſacrata fecit argentea.] hoc idẽ habetur in c.vaſa de conſecrat.diſt.1. & refert Vualfridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. c.24. Concilium autem Remenſe c.6. vt habetur in c. vt calix diſt.1.de cõſecrat.ligneos,vitreos,æreos,vel ex auricalco fieri calices prohibet. Vrbanus igitur primus ſacrata vaſa,vt diximus,argentea fecit,quæ poſtea, & aurea
*S. Ambroſ. offic. lib. 2. cap.48. Prudent.in hymno S. Laurentij.* fuiſſe cõſtat ex actis S.Laurẽtij per S.Ambroſium,& Prudentiũ ſacro hymno conſcriptis,& pluribus alijs.

29 TEMPORIBVS MAXIMINI, ET AFRICANI COSS. Horum Conſulũ chronologia cum tẽporibus Vrbani non conuenit, cũ eorum poſt ipſius Vrbani martyrium,finitoq; Alexandri Imperio,vt ex Caſſiodoro cõſtat, fuerit conſulatus. Aut ergo librarij vitio pro veris Cõſulibus,qui ante extiterant,horũ poſteriorũ nomina irrepſiſſe dicẽdũ eſt;aut ingenuè cõfitendũ,ſicut ſæpe aliàs, ita hoc loco librũ hunc à vera faſtorum, & temporum ratione aberrare;fortè quia,vt viri docti ſuſpicantur, huic Damaſi libro res à Romanis Põtificibus geſta fideliter narrare ſtudẽti. chronologia ab alio quouis parũ diligenti tẽporum ratiocinatore adiecta fuerit.

*Expliciunt notæ ad Paſsio. S.Vrbani.*

AD

# LVCII PP. ET MART.

## VITAM

## ANTONII BOSII V. I. D.

*Notæ.*

1. LVCIVS. Lucius Papa post martyriū S. Cornelij in locum eius eligitur; cuius meminit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiast. in Cornelio; extat S. Cypriani epist. ad Luciū de qua infra; de Lucio etiam mentionem facit idem Cyprianus in epistola, quam Stephano eius successori scribit his verbis: Seruandus est enim Antecessorum nostrorum Beatorum Martyrum Cornelij, & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam cū nos honoremus, multò magis tu Frater chariſſime honorificare, & ſeruare grauitate, & auctoritate tua debes, qui vicarius, & ſucceſſor eorum factus es. ]

*S. Hier. lib. de Script. Eccleſ.*

*S. Cypr. epiſt. 58. & ep. 67*

2. SEDIT ANNOS III. MENSES III. DIES III. Euſebius in Chronic. & hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 3. Lucium Papam octo tantum menſibus ſediſſe tradit. Verum ab Illuſtriſſimo Cardinale Baronio ſedis ſuæ tempus vſque annum Chriſti 257. Galli, & Voluſiani Impp. quartum, claris rationibus extenditur.

*Illuſtriſſ. Card. Bar. Annal. Eccleſ. tom. 2.*

3 VALERIANVM TERTIVM, ET GALLIENVM COSS. Meminit horum consulatus Cassiod. in Chron. contigit autem anno Christi 257.

4 HIC IN EXILIO FVIT RELEGATVS, POSTEA NVTV DEI INCOLVMIS AD ECCLESIAM REVERSVS. Lucio ab exilio reuerso S. Cyprianus congratulatoriam scripsit epistolam, in qua inter alia hæc: Sed & nunc non minus tibi, & comitibus tuis, atque vniuersæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloriâ, & laudibus vestris reduces vos denuò ad suos fecerit benigna Domini, & larga protectio, vt pascendo Gregi Pastor, & gubernandæ naui Gubernator, & Plebi regendæ Rector redderetur; & appareret relegationem vestram sic diuinitus esse dispositam, non vt Episcopus relegatus, & pulsus Ecclesiæ deesset; sed vt ad Ecclesiam maior rediret, &c. ] & paulo infra: Regredientibus vobis abbreuiata non est Episcopo confessionis suæ dignitas, sed magis creuit sacerdotalis auctoritas, vt altari Dei assistat Antistes, qui ad confessionis arma sumenda, & facienda martyria non verbis Plebem, sed factis cohortetur. ]

*S. Cypr. ep. 58.*

5 ARCHIDIACONO SVO STEPHANO. Hoc idem à Cornelio Papa factum in hoc eodem libro de Romanis Pontificibus in vita ipsius traditur his verbis: Post hoc, ideſt tertio nonas Martij, iam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono suo. ] Cum enim Romani Pontifices carceribus mancipabantur, vel ducebantur ad mortem, solebant Ecclesiæ facultates Archidiacono commendare, ita etiam a Stephano Papa actum legimus, qui omnia vasa Ecclesiæ, & pecuniæ arcam Archidiacono suo

*Damas. in Cornelio.*

*Damas. in Stephano.*

Xysto

Xysto dedit in potestatem; Beatus Xystus quòque Sancto Laurentio Archidiacono suo, cum ad passionem duceretur, Ecclesiæ facultates commendauit, vt in actis Sancti Laurentij habetur, quod innuit etiam Prudentius, qui & Archidiaconi officium his versibus, dum de S. Laurentio loquitur, describit.

*Damas. in Xysto.*
*Acta S. Laurentij, Sur. tom. 4. 10. Aug.*
*Prudent. in hymno S. Laurentij.*

*Hic primus è septem viris,*
*Qui stant ad aram proximi*
*Leuita sublimis gradu,*
*Et cæteris præstantior,*
*Claustris Sacrorum præerat*
*Cælestis arcanum domus*
*Fidis gubernans clauibus,*
*Votaque dispensans opes.*

*Explicium notæ ad Passionem S. Lucij Papæ.*

AD LITERAS

# PASCHALIS I.

## PAPAE

## DE REVELATIONE, ET INVENTIONE corporis B. Cæciliæ, & Sociorum eius, & eorundem intra Vrbem translatione.

*ANTONII BOSII I. V. D.*

*Nota.*

1 REVELATIO. Reuelationem hanc ex his Paschalis literis ad verbum ferè desumptam ponit Anastasius Bibliothecarius in vita Paschalis Primi, quæ etiam reperitur in antiquo codice Ecclesiæ S. Cæciliæ trans Tiberim. Ipsam quòque eisdem ferè verbis refert Ioannes de Columna in sua historia manuscripta; a quo Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus eandem accepit, vt ipsemet testatur. Sed quod ad has Paschalis literas spectat, eædem in antiquo lectionario Basilicæ Sancti Petri nonnihil immutatæ reperiuntur post Sanctæ Cæciliæ passionem: extat etiam earundem literarum non quidem autographum, sed exemplar non valde antiquum & in aliquibus à quopiam forsan suo marte variatum in manuscripto exemplari Bibliothecæ Apostolicæ, à quo eas primũ describi curamus typis tradendas; Verum cum deinde V. C. Pompeio Vgonio

*Ioan. de Column. in Biblioth. Var. & Asc Car. Columna. S. Antoninus*

nio Reuerendissimus Sacri Palatij Magister hæc ipsa sacræ antiquitatis monumenta recognoscenda, & cum veteribus exemplaribus conferenda demandasset; is nobis easdem Paschalis literas multò castigatiores, & antiquioribus characteribus exaratas, in nobilissima Bibliotheca (cui ipse præfectus est) Illustrissimi Principis Ascanij Cardinalis Columnæ ostendit, ipsisq. codicem Basilicę Sancti Petri, Bibliothecarium, Ioannem de Columna maximè adhærere comperimus: Ex quo moti sumus, vt secundum id exemplar, eodem Vgonio approbante, ederemus, quas in fine mutilas ex vetustissimo Bibliothecarij codice suppleuimus: Et ne vaticanam quis lectionem requireret, quę postrema hac Sanctorum corporum detectione per manus multorum vagata est, eius varietates C.V. literis indicatas ascripsimus; si quid autem in his rudiori stylo dictum reperies, id æui illius simplicitati condonato.

Hanc horum Sanctorum corporum inuentionem, & reuelationem sub Anno Domini DCCCXXI. & Ludouici Pij Caroli Magni filij Imperatoris anno septimo his verbis collocat Sigebertus in Chronico.

*Paschalis Papa corpus Sanctæ Cæciliæ Virginis, ipsa reuelante, inuenit, aureis velatum indumentis, sanguine ipsius adhuc infusis, & ipsam, & corpora Sanctorum Valeriani sponsi eius, & Tiburtij, & Maximi, Vrbani quòq; Papæ in Ecclesiã a se eis ædificatã transposuit.*

Hæc Sigebertus, quem etiam refert Vincentius Bellouacensis in Speculo historiali. Ita quòque Petrus Natalis in Catalogo post passionem Sanctæ Cæciliæ. *Vinc. in spec. tom. 4. li. 25 cap. 26.* *Petrus Nat. in Catalogo.*

*Anno septimo Ludouici Imperatoris Paschalis Papa corpus Sanctæ Cæciliæ ipsa reuelante*

*dudum*

*dum occultatum inuenit, aureis velatum vestibus sanguine eius adhuc infusis, & ipsum inter corpora Sanctorum Tiburtij, & Valeriani, & Maximi, atque Vrbani PP. in Ecclesiam nomine Virginis Sanctæ dedicatam collocauit.* Martinus Polonus in vita Paschalis: *Hic corpus Beatæ Cæciliæ, ipsa reuelante, & corpora Beati Tiburtij, & Valeriani, necnon Sancti Vrbani PP. de Cœmeterio, vbi erant reconditi, manu propria eleuans, intra Vrbem in Ecclesia Beatæ Cæciliæ honorificè collocauit.*

*Martinus Polonus.*

Richardus Monachus Cluniacensis in sua Romanorum Pontificum serie in Paschali. *Hic corpus Sanctæ Cæciliæ, ipsa reuelante, & sponsi sui Valeriani, & linteamina sanguine Martyris infusa inuenit, ac corpora Tiburtij, Maximi, & Vrbani, quæ omnia manu colligens in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ de Vrbe sepeliens collocauit.*

*Richardus Cluniac. in Biblioth. Vatic. n. 735.*

Richardus Guido in suo Chronico Pontificio in eodem Paschali. *Hic Beatus Pontifex corpus Sanctæ Cæciliæ, ipsa reuelante, in Cœmeterio Prætextati cum corpore sponsi sui Valeriani, & linteamina ipsius Martyris infusa sanguine inuenit, qui cuncta manibus pertractans collegit, corporaq; Sanctorum Tiburtij, Maximi, necnon & Papæ Vrbani, à quo fuerant tumulati, quæ omnia*

*Richar. Guido in Biblio. Vatic. n. 712*

*nia infra Vrbem, in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ cum magna honorificentia collocauit.*

Ptolomæus Lucensis in Ecclesiastica Historia. *Hic corpus B. Cæciliæ, ipsa eadem reuelante, & corpora Beatorum Tiburtij, & Valeriani, nec non & S. Urbani PP. de Cœmeterio, vbi fuerant reconditi, manu propria eleuans, intra Vrbẽ in Ecclesia B. Cæciliæ honorificè collocauit.* Ptol. Luc. li. 15 c. 22 hist. Eccl. in Vatic. Biblioth. n. 228.

Demum in manuscripto quòque antiquo anonymi Auctoris Chronico, cum de Paschalis Pontificatu agitur. *Nullum memorabile ponitur, nisi quod ille manu propria corpus Beatæ Cæciliæ, Sancti Tiburtij, & Valeriani de Cœmeterio, vbi fuerant reconditi eleuans, intra Vrbem in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ honorificè collocauit.* Chronica hæc incerti Auctoris habetur in Biblioth. Vat. n. 220.

Horum tot Auctorum testimonia (ne quis miretur) idcirco collegimus, tum quia in singulis ferè aliquid obseruare licet, tum quod plerique eorum impressi non habentur; sed in Bibliothecæ Vaticanæ thesauris asseruantur, faciuntq. plurimum ad confirmandam huius sacræ reuelationis historiam: Quibus omnibus subscribit vetus pictura, quam ex porticu Sanctæ eiusdem Virginis Ecclesiæ expressam supra reddidimus.

2 PASCHALIS PAPAE. Is fuit Paschalis Primus Romanus, qui cum esset Monachus, & Abbas Monasterij Sancti Stephani maioris propè Sanctum Petrum, à Leone III. Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Praxedis est creatus, & demum mortuo Stephano Quinto, vel vt ab alijs appellatur IV. Anno Domini DCCCXVII.

Ro-

Romanus Pontifex renunciatur, qui poſtquam Romanum Pontificatum annis ſeptem, menſibus tribus, diebus 17. gubernaſſet, obijt pridie Idus Maij anno Chriſti DCCCXXIV. & in Baſilica S. Petri ſepelitur, in ſacello, vt exiſtimamus, Sanctorum Proceſsi, & Martiniani martyrum, quod ab illo conſecratum durauit vſque ad veteris fabricæ demolitionem.

3 DIVERSA CORPORA SANCTORVM. Cum Cœmeteria ob diuerſas Barbarorum deuaſtationes iam eſſent derelicta, & mortui intra Vrbem in Eccleſijs ſepelirentur, ſumma fuit Romanis Pontificibus cura, Sanctorum corpora, quæ in dictis iam dirutis, & neglectis Cœmeterijs iacebant, in Vrbem transferendi, vt in libro noſtro de ſacris Cœmeterijs oſtendemus, in quo ſingulas, quas reperire potuimus tranſlationes, & qua eæ fierent ſolennitate, ſigillatim explicabimus. Verùm inter cæteros in hoc enixius laborauit Paſchalis Primus, qui Martyrum corpora diligenter per Cœmeteria requirēs, vt refert Anaſtaſius Bibliothecarius, & ipſemet hiſce in literis teſtatur, eorum innumera in Vrbem, ſumma cum pompa, & celebritate introduxit, & in diuerſis Eccleſijs collocauit; maximè autem in Eccleſia S. Praxedis, quę eius, cum Cardinalis eſſet, titulus fuerat, vbi adhuc perſeuerat inſcriptio, in qua à Paſchali Papa duo millia, & trecenta Sanctorum Martyrum corpora ex dirutis Cœmeterijs in eam tranſlata aſſeruntur, cuius tranſlationis ordo in maiori arcu eiuſdem Eccleſiæ, qui triumphalis ab antiquis appellabatur, depictus adhuc cernitur.

*Anaſt. Bibliotb in vita Paſch* 1.

4 ASTVLPHO LANGOBARDORVM REGE. Huic Aſtulpho, ſeu Ayſtulpho Rachis Langobardorum Rex monachus factus. Regnum reliquit. Hic propagandi Regni cupidus Rauenna capta, magnaq. Flaminiæ parte occupata, Romam ipſam obſedit, multiſq. in agro

Roma-

Romano incursionibus factis à Pipino Gallorum Rege, qui propterea iam secundò in Italiam venerat, Ticini obsessus, coactus fuit omnia per eum capta restituere: Et demum ex apoplexia moritur; quamquam alij fulminis ictu, alij in venatione ab apro confossum, nonnulli ex equo delapsum interijsse dicant. Is autem, dum Romam obsideret, multa Sanctorum corpora effodiens, & secum transferens, Cœmeteria subuertit, vt scribit Bibliothecarius, ex quo opinio nata est, quòd Corpus quòque sãctæ Cæciliæ ab eo fuisset asportatum.

*Biblioth. in vita Stephani 2.*

5 ANTE CONFESSIONEM BEATI PETRI APOSTOLI. Locus ille subterraneus sub maiori Altare circa Presbyterij ambitum collocatus, vbi sanctorum Martyrum corpora, seu eorum sacræ reliquiæ reconderẽtur, Maiores nostri Confessionem appellarunt, quam vocem in sacris Martyrologijs, in actis Martyrum, in Libro de Romanis Pontificibus frequentissimam inuenies; quælibet enim Ecclesia antiquitus suam habebat Confessionem. Verum Apostolorum Petri, & Pauli Confessiones inter alias celebriores existunt, quæ à Caio antiquo Theologo apud Eusebium trophæa appellantur. Porrò quod ad Confessionẽ Sãcti Petri, de qua hic, spectat; locus ille est, in quo sãcti Petri corpus post glorioſum eius martyrium depositũ est Via Triumphali iuxta Apollinis templũ, & Caij, ac Neronis Circum, vbi Anaclet. PP. I. eiusdẽ Apostoli memoriã, auctore Damaso, composuit, atque constructit, quod instar cœmeterij cæteris deinde Pontificibus fuit, in quo Lini, Cleti, Anacleti, Euaristi, Xysti, Thelesphori, Higinij, Pij, Eleutherij, Victoris, aliorumq; sanctorum Pontificum corpora recondita fuerũt. Erat hæc Confessio priscis Christianis, ipsis persecutionis tẽporibus, vt Oratoriũ, seu Sacrariũ quoddã, ad quod orãs S. Zoe, B. Nicostrati Martyris vxor sub Diocletiano Imperat. à persecutoribus arctata martyrio

*Euseb. l. 3. hist. Eccles. cap. 4.*

*Damas. in Anacleto.*

coronata est, quo in loco demum pace Ecclesiæ tradita à Constantino Magno ampliſſima est Ecclesia cõstructa. Solebant olim ante Confessionẽ Sancti Petri iuramenta præstari; legitur enim in Libro de Romanis Pontificibus Bonifatium secundum ante Confessionem Sancti Petri suum quoddam constitutum, quod liceret sibi successorem eligere, à Clero iureiurãdo confirmari feciſſe, illudq; postea ante eandem Confessionem toto Clero, & Populo spectante incendio consumpsiſſe, & in vita Adriani Primi. Charolum Francorum Regem donationem à se Romanæ Ecclesiæ factam in sacra sancti Petri Confessione iuramenti sacramento confirmasse. Cæterum antiquitus hæc sancti Petri Confessio & argento, & auro mirum in modum ornabatur; Habemus enim in eodem Libro de Romanis Pontificibus, eam argento ex auro puriſſimo deaurato à Gregorio III. inuestitam, & ab Adriano Primo totam ex aureis laminis, diuersis historijs insculptis, decoratam, & à Leone III. illius pauimentum auro stratum, illique Saluatoris, & Principum Apostolorum imagines oblatas. Hunc ipsum locum temporum iniuria priscis ornamentis nudatum nuper Clemens Octauus Pontifex Max. magnificè marmoreis tabulis discoloribus, aureoq; gypso vestiuit, & decorauit. Confessioni sancti Petri multa dona à Charolo Magno Imperatore oblata in eiusdem Leonis III. vita enumerãtur, & demum eam innumeris ornamentis, & muneribus à Romanis Põtificibus, Imperatoribus, alijsq; Christianis Principibus ditatam sæpe legimus. Ad eam enim ipsi Imperatores, & Reges, statim atque Vrbem ingrediebantur, orationis causa accedebant; sed hæc de Confessione sancti Petri sufficiant. Quod autem hic dicitur, Paschalem ante Confessionem sancti Petri residisse, cum ei hæc facta fuit reuelatio, intelligas scilicet ante Altare maius S. Petri, vt rectè in porticu Ecclesiæ S. Cæciliæ depictum est, quemadmodum ex ipsius picturæ

exem-

exemplari, quod ſupra poſuimus, facilè cognoſcere poteris, ita enim ſæpe in geſtis Pontificum legimus: Fecit coronas, vel vela pendentia ante Confeſſionem, & ſimilia.

6 QVI TANTO PENES ME FVISTI. Ita etiam habetur in manuſcripto Codice Baſilicæ ſancti Petri, & apud Anaſtaſium, Bibliothecarium, Ioannem de Columna, & S. Antoninum; ſolus Codex Vaticanus habet *Quæ tantò penes me appropinquauit*. Et quidem ex hac duplici lectione, duplex quòque varius prouenit ſenſus, nam iuxta Vaticani Codicis lectionem Paſchalis refert in reuelatione B. Virginem Cæciliam tantò penes ſe appropinquaſſe, vt proprio loqui ore ſimul poſſent; & iuxta aliam magis communem Sancta Virgo Cęcilia dicit Paſchali, eũ ſuo corpori, cum illud in Cœmeterio quæreret, appropinquaſſe, vt loqui ſimul valerent. Quam profectò veriorem lectionẽ puto, idque ex prędecedẽtibus illis verbis: *Certamen, quod in medio apposueras, ſine cauſa reliquiſti?* Et ex ſequentibus ijs: *Sed ſicut cœpiſti, perage, & ſicut operaris, indeſinenter operare.* Ex his enim verbis patet, Paſchalem Papam in Cœmeterio ſacrę huius Virginis corpus perquiſiuiſſe, verum cum illud inuenire nõ potuiſſet, & ab Ayſtulpho Langobardorum Rege ſublatum diceretur, à perquiſitione retardatum.

7 IN COEMETERIO SANCTI XYSTI. In Codice Vaticano habetur: *In cœmeterio Xyſti, ſeu Prætextati*. In manuſcripto Codice Baſilicæ ſancti Petri, apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Ioãnem de Columna, Richardum Guidonem, ſanctum Antoninum legitur

*In Cœmeterio Prætextati.* Nec mirum videatur; Vnum enim, & idem Cœmeterium à pluribus, & diuersis Martyribus in eo sepultis varia desumebat nomina, licet quandoque constructoris, vel instauratoris nomine nuncuparentur Cœmeteria. Scias ergo Cœmeteriũ hoc S. Xysti, seu Prætextati Cœmeterij Callisti partẽ fuisse, verum quia in eo sanctus Xystus Papa secundus gladio animaduersus est, & cum Felicissimo, & Agapito Diaconis, Ianuario, Magno, Innocentio, & Stephano subdiaconis suis sepultus, vnà cum sancta Cæcilia, Tiburtio, Valeriano, Maximo, & Vrbano Papa, propterea & Cœmeterium Xysti, & Cœmeterium Felicissimi, Agapiti, atque Ianuarij, & Cœmeterium ad sanctam Cæciliam, & Cœmeterium Tiburtij, Valeriani, & Maximi, & Cœmeterium Vrbani dictum reperimus. Anastasius Bibliothecarius Cœmeterium S. Xysti Papæ à Leone III. renouatum tradit in eius vita, vbi & dona eidem ab ipso oblata enumerat. De Cœmeterio Beatorum Martyrum Ianuarij, Vrbani, Tiburtij, Valeriani, & Maximi à Gregorio III. instaurato habes apud eundẽ, qui & in Adriano Primo meminit Ecclesiæ S. Tiburtij, Valeriani, & Maximi, & Cœmeterij SS. Vrbani Pontificis, Felicissimi, Agapiti, atque Ianuarij Martyrum. De Cœmeterio demum ad sanctam Cæciliam habes in Romano Martyrologio sub die 4. Martij. Romæ Via Appia SS. Martyrum nongentorum, qui positi sunt in Cœmeterio ad sanctam Cæciliam] Extat adhuc in Cœmeterio Callisti non longè ab ore cryptæ sub Ecclesia S. Sebastiani Titulus sancti Maximi ita inscriptus.

*Biblioth. in vita Leon. 3*

*Biblioth. in vita Gre. 3 & Adria. 1.*

| |
|---|
| S A N C T O |
| M A R T Y R I |
| M A X I M O |

Et

Et perseuerat adhuc ibidem memoria loci illius, in quo primùm S. Cæciliæ corpus ab Vrbano Papa depositum, à Paschali Primo inuentum fuit, marmorea hac inscriptione renouata.

✠ HIC QVONDAM RECONDITVM FVIT CORPVS
BEATAE CAECILIAE VIRGINIS, ET MARTYRIS.
HOC OPVS FECIT FIERI REVERENDISSIMVS
PATER DOMINVS GVLIELMVS ARCHIEPS.
BITVRICENSIS. ANNO DOMINI MCCCC NONO.

Ne putes, Gulielmum hunc Archiepiscopum Bituricẽsem eum esse, de quo in sacris Martyrologijs sub quarto Kal. Augusti, cuius acta habemus apud Surium, is enim, vt notat Illustriss. Cardinalis Baronius in suis ad Romanum Martyrologium notis, obijt Anno Domini MCCXLI. & ab Innocentio IIII. fuit in Sanctorum numerum relatus, cuius literæ adhuc in Vaticana Bibliotheca seruantur; tempus enim in dicta inscriptione designatum non conuenit cum ijs temporibus; Nisi sculptoris errore perperam tempus designatum diceremus. Extat præterea in Confessione Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ marmorea tabula, quam existimamus antiquam esse Sãctorum Valeriani, & Tiburtij sepulcralem inscriptionem, à Cœmeterio illuc translatam, quando & ipsa quoque corpora ibidem reposita fuerunt; Inscriptio autem est huiusmodi. *Sur. tom. 4.*

SANCTIS MARTYRIBVS TIBVRTIO,
BALERIANO, ET MAXIMO, QVORVM
NATALE EST XVIII. KALEND. MAIAS.

8 LINTEAMINA, CVM QVIBVS SACRATISSIMVS SANGVIS EIVS ABSTERSVS EST. Hæc illa sunt linteamina, de quibus ita in eius passione habetur: *Cuius sanguinem omnes bibulis linteaminibus populi, qui per eam crediderant, abstergebant.*

9 TITVLVS, QVEM SVO SANCTO NOMINE CHRISTIANA DEVOTIONE DICAVERAT. Hæc est communior lectio, & ita etiam habetur apud Anastasium Bibliothecarium, & alios, quos supra retulimus, idq; cum eo, quod in ipsa S. Cæciliæ passione dicitur, cũ de eius domus dedicatione agitur, conuenit. Solus Codex Vaticanus habet: *Titulum, quem piæ deuotionis affectu S. Papa Primus Gregorius Doctor eximius dicauerat.* Quod & potuit esse, idque videtur etiam comprobari ex eo, quod Paschalis, vt infra in his literis dicitur, Monasterium in honorem S. Gregorij ædificauerit, quasi id fecerit, ea re motus, quia ipsa Ecclesia ab eodẽ sancto Pontifice dedicata fuerit. Licet enim S. Vrbanus Papa à S. Cæcilia rogatus eius domum Ecclesiam consecrasset, potuit tamen dicta Ecclesia ob antiquitatem collapsa, vel aliqua alia ex causa profanata à S. Gregorio iterum consecrari, sicut multas Ecclesias pluries dedicatas fuisse ex antiquis inscriptionibus constat. Cæterum Ecclesia sanctæ Cæciliæ antiquissimus est Præsbyteri Cardinalis titulus, cum illius mentio fiat in Concilio secundo Romano sub Symmacho, ibi enim se subscribũt Bonifatius, & Martianus Præsbyteri S. Cæciliæ; fuit enim Concilium illud, vt in eo dicitur, post Cõsulatũ Paulini, Christi scilicet Anno 499. celebratum. In antiquo etiam epitaphio, quod est in Confessione eiusdem Ecclesiæ, sepulcri illius locus ab

Ar-

Archipresbytero Tituli sãctæ Cæciliæ solidos sex comparatus dicitur Imp. DD. Aug. Heraclio Anno nono P.C. eiusdem Anno octauo, atque Heraclio Constantino nouo filio ipsius Anno septimo, indictione septima; Quod accidit Anno Christi DCXIX. vt scribit Honuphrius in fastis. Stephanus Tertius quòque ex Presbytero Tituli S. Cæciliæ à Zaccharia Papa creatò fuit Anno Domini DCCLII. Romanus Pontifex renunciatus. Solebant antiquitus Romani Pontifices in natali Sanctæ Cæciliæ ad sacrum missæ mysterium celebrandum cum Clero ad hanc Ecclesiam conuenire; ibique rogam Populo dare; legimus enim apud Anastasium Bibliothecarium, Vigilium Papam decimo Kalendas Decembris Theodoræ Augustæ iussu, dum in hac Ecclesia munera Populo traderet, captum, & Constantinopolim trãsmissum. Hæc de hoc Titulo attigisse sufficiat, fuit olim, & Oratorium S. Cæciliæ via Tiburtina, quinto ab Vrbe milliario, cuius meminit idem Bibliothecarius in Zaccharia, sed huiusmodi antiquitatum studiosum Lectorem remittimus ad Librum, quem à præstantissimo viro Pompeio Vgonio quamprimum edendum in lucẽ speramus, in quo omnia, quę ad Ecclesiarum Vrbis antiquitatem spectant, adamussim discutientur.

10 A FVNDAMENTIS EST RESTAVRATVS. Ex hoc loco, & ijs quæ supra diximus constat, quantum errent ij, qui primam huius Ecclesiæ fundationem Paschali tribuunt, cum ipse eam tantum instauauerit, de qua instauratione ita Anastasius Bibliothecarius in eius vita: Christi namque omnipotentis Dei famulus, & prænominatus Pontifex maximam erga Dei Ecclesiam curam, & sollicitudinem præuidendo indesinenter gerens; cum quodam die orationis studio ad Sanctæ Dei Virginis, Christiq; Martyris Cæciliæ Ecclesiam aduenisset, nimio iam quassata senio Ecclesiæ eiusdẽ mœnia etiam

à fun-

à fundamentis ruitura videns, quæ per olitana tempora defectu vetustatis marcuerant, & pene ruinis confracta diu antiquitatis lacerata manebant, dato studio operis eodem in loco magnifico opere nouam construere Ecclesiam cæpit, & perficere satis meliorem, quam fuerat studuit. Hæc Bibliothecarius. Seruatur adhuc illæsũ musiuum absydis à Paschale factum, in cuius medio Seruatoris nostri, & hinc inde Principum Apostolorum Petri, & Pauli, S. Cæciliæ aliorumq; Sanctorum extãt imagines, & ipsius Paschalis effigies Ecclesiam S. Cæciliæ manu gestans; & subtus hæc aureis literis inscripta carmina.

HAEC DOMVS AMPLA MICAT VARIIS FABRICATA METALLIS,
OLIM QVAE FVERAT CONFRACTA SVB TEMPORE PRISCO.
CONDIDIT IN MELIVS PASCHALIS PRAESVL OPIMVS.
HANC AVLAM DOMINI FIRMANS FVNDAMINE CLARO.
AVREA GEMMATIS RESONANT HAEC DINDIMA TEMPLI.
LAETVS AMORE DEI HIC CONIVNXIT CORPORA SANCTA
CAECILIAE, ET SOCIIS RVTILAT HIC FLORE IVVENTVS.
QVAE PRIDEM IN CRYPTIS PAVSABANT MEMBRA BEATA.
ROMA RESVLTAT OVANS SEMPER ORNATA PER AEVVM.

Huius absydis, & ornamentorũ, ac munerũ, quæ à Paschali huic Eccl. fuerũt oblata, ita meminit idẽ Bibliothecar. *Qui Sanctissimus Præsul amore venerandorũ Sanctorum fecit in ornamentis ipsius Ecclesiæ absydam musiuo opere decoratam, & ciburiũ miræ magnitudinis ex argento pens. lib. D. & semis, & vnc. viij. Propitiatorium denique sacri Altaris, seu Confessionem interius, exteriusq; cum rugulis suis ex laminis argenteis mirum in modum perficiens compsit, qui simul pens. lib. LXIV. & vnc. xv. Ad sacrum verò*

eiuſ-

eiuſdem Virginis corpus optulit imaginem ex argenteis laminis penſ.lib.XCV. Fecit etiam ante veſtibulum Altaris regularem inueſtitũ ex laminis argenteis cũ columpnis duabus, vbi & poſuit arcum vnum, & gammadias penſ. lib.C.& ſemis. Optulit ibi ipſum imagines ex argento deauratas tres penſ.inſimul lib.xlviij. ſemis. Sæpeſatus quòque Præſul fecit per arcus eiuſdem Eccleſiæ Calices maiores ex argẽto xxvi. penſ. inſimul lib.cviiij. & ſemis. Item vbi ſupra optulit caniſtra ex argento II. penſ. lib. II.& vnc.IX. Gabatham ex auro puriſſimo penſ.lib.III.Fecit iam prædictus Pontifex caniſtra enafoti ex argento II.penſ.lib.x.Gabathas ex argento iij.penſ. lib.v. Turabulũ ex argento deauratum penſ. lib.I. Hic benigniſſimus Præſul optulit in ſacro Altare veſtem de blattin byZantea habentem in medio tabulam de chriſoclauo, cum hiſtoria, qualiter Angelus B.Cæciliam,ſeu Valerianum,& Tiburtiũ coronauit, cum pericliſin de chriſoclauo mirę pulchritudinis. Item ibi ipſum fecit veſtem de fundato alythino habentem in circuitu pericliſin de olouero.Ob amorem eiuſdem Virginis fecit aliam veſtem de fundato porphiretico habẽ

*tem in medio Crucem ex auro texto comptè decoratam. Enimuero in iam dicto Altare optulit vestem albam sigillatam cum rosulis habentem in medio Crucem de blattin cum psillis, & pericliſin de blattin byzantea pulcherrimè exornatam. Optulit in prænominato Altare vestem de quadrapulo. Venerabilis Pontifex fecit vela alythina pendentia in circuitu Altaris iv. habentia Cruces, & gammadias de fundato, & quadrapulo. In arcellam verò, vbi venerabile * caput eiusdem Virginis condidit, fecit vestem paruam de tyreo cũ periclisin de blattin. Optulit vbi supra vestem de fundato prasino; immo & aliam vestem de staurace cum periclisin de olouero. Ibi ipsum vestem de blattin cum periclisin de fundato. Fecit etiam in arcella ad corpus iam dictæ Virginis vestem de quadrapulo cum periclisin. Porrò aliam vestem de staurace cum periclisin de olouero. In iam dicta Eccle sia fecit vela tyrea cum periclisin de blattin byzantea num. xxv. Item vela prasina cum periclisin de olouero numero iv. Optulit vbi supra vela alythina cum periclisin de blattin numero iij. Simulque vela de fundato parua cum periclisin de blattin numero ij. Pariter vela tyrea cum periclisin de fundato ij.*

* fortasse corpus, vt dicitur infra.

Hic

*Hic venerabilis, & præclarus Pontifex fecit per arcus iam præfatæ Ecclesiæ vela de fundato num.xij.& de quadrapulo xiv. Fecit enim in arcus Presbyterij vela parua cum periclisin de blattin byzantea num. xij. Hic à Deo protectus venerabilis Præsul, fecit in ingressu eiusdem Ecclesiæ cortinam maiorem de quadrapulo,& staurace pulcherrimè exornatam.* Hęc habet Anastasius de restauratione,& donis oblatis à Paschali Ecclesiæ S.Cæciliæ.

Nouissimè autem perquam feliciter eidem Ecclesiæ contigit,quod eius Titulum à GregorioQuartodecimo Pontifice Maximo,cum Pontifex factus est, dimissum; Nepos eius ex Fratre, Illustrissimus Cardinalis Paulus Sfondratus excepit,vir cùm insignis religionis,& Christianæ pietatis, tum cæterarum virtutum merito Cardinalatu,omniqúe honore dignissimus. Hic ruinam minãtem Ecclesiam pluribus locis fulsit:Sacellis,atque Altaribus auxit, totamqúe in primis vetustate deformatam mirè excoluit,& illustrauit; Picturas enim medianæ nauis,veteris, nouiqúe testamenti historias continentes, senio iam exolescentes,ac caligine obtectas, vt est venerandæ antiquitatis obseruantissimus,ita restituit, vt nec vetera lineamenta deleri sit passus, & recentium superinductione colorum speciem eis, venustatemqúe reddiderit; nitent,vt nouæ,auctoritatẽ obtinent, vt antiquæ. Sed & dum ad dexteram ingressus Ecclesiæ incultè habitum Sacellum,quod Oratorium fama est fuisse B.Cęciliæ,reparare molitur, iuxta effodiendo, subterraneam cellam reperit,quæ non leuibus coniecturis pars quædam Balnei eiusdem Sanctæ Virginis fuisse iudicatur.

Est enim locus concameratus canales ad aquæ fluxum, ac tubulos circum habēs, ad igneum calorem euaporandum; æneum ibi vas rotundum videtur, vti verisimile est ad vsum aliquem balnearem; Patefieri hæc cœpta hoc ipso tempore, quo scripta hæc nostra sub prælo erant: Quare vt modicè scrutari licuit, ita satis sit breuiter attigisse; Alios hæc cura tanget copiosius exequendi, præsertim vbi totum locum (quemadmodum in animo habet) repurgauerit, atque exornauerit idem Illustrissimus Cardinalis Sfondratus, qui profectò non solùm in dictæ Ecclesiæ instauratione, & muneribus eidem oblatis; sed & in Beatæ Cæciliæ Virginis, & Sociorum Sanctorum corporum detectione, atque inuentione (vt infra dicemus) ipsius Paschalis Primi gloriam feliciter adæquauit.

11 LVCIO PONTIFICE. Ne mireris apud Sigebertum, Martinum Polonum, Petrum Natalem, Richardum Cluniacensem, Ptolomæum de Luca, & alios quos supra retulimus, cum de hac Sanctorum corporum ex Cœmeterio in Vrbem translatione agunt, nullam fieri de Sancto Lucio Papa mentionem; corpus enim eius ab Hadriano Primo in Ecclesiam a se constructam in agro Veientano, milliario ab Vrbe xv. translatum, & cum alijs Sanctis corporibus repositum, iampridem testatur Bibliothecarius in eius vita, his verbis: Hic isdem Sanctissimus Præsul in domo culta Capracorum, quam ex proprio suo optulit pro alimoniis Paupe rum Beato Petro Apostolorum Principi nutritori suo, à solo fundauit, atque ædificauit Ecclesiam, simulque speciosè ornauit, & nomine eidem Dei Apostolo fauto ri suo dedicauit, recondens in ea reliquias Saluatoris D.N. Iesu Christi, & eiusdem Dei Genitricis, semperq.

Vir-

Virginis Mariæ, atque duodecim Apoſtolorum,& aliorum venerabilium Martyrum. In qua ſacratiſsima Eccleſia cum cuncto Clero ſuo,Senatuq. Romano pergens cũ nimia gloria,ſeu exultatione pariter ouantes,& in Pauperes Chriſti ibidẽ magna cõſueta eleemoſyna faciẽte tranſlatauit,atque introduxit in ea corpora SS. Martyrum,ſimulque Pontificum,videlicet corpus S. Cornelij Martyris,atque Pontificis, ſucceſſorisq. eius Sãcti Lucij Martyris,& Pontificis, & corpus S. Felicis ſimili modo Mart. ſeu Pont.&c.] Cum ab hac igitur Eccleſia,& non à Cœmeterio S.Lucij Papæ corpus à Paſchali in Titulũ S. Cæciliæ reportatum fuerit, mirum non eſt,ſi cum de corporibus ex Cœmeterio ſumptis agitur, nulla de eo fiat mentio.

12 SVB SACRO ALTARE DEDICANTES COLLOCAVIMVS. Antiquiſſimam hanc Sanctorum corpora ſub Altaribus collocandi conſuetudinem ex Apoſtolica traditione Maioribus noſtris profluxiſſe colligunt aliqui ex illo Apocalypſis: Vidi ſubtus Altare Animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium,quod habebant,&c.] Verum cum à Felice Primo,vt teſtatur Damaſus,ſuper memorias Martyrum Miſſas celebrari conſtitutum fuiſſet, vt de hoc etiam extat eiuſdem Felicis decretalis Epiſtola ad Epiſcopos per Galliam conſtitutos; & idcirco perſecutionis temporibus Miſſæ ſuper ipſa Martyrum ſepulcra in Cœmeterijs, & Cryptis celebrarentur; Pace deinde Eccleſiæ parta,templis ampliſſimis vndique extructis, in eaque Sanctorum Martyrum corporibus tranſlatis, vt Felicis decretum commodius obſeruaretur, ipſa corpora ſub Altaribus, idque potiſſimum ſub maioribus col-

*Apoc. c.6.*

*Damaſ. in vita Fel. 1.*

*Conc. to. 1. Epiſt. 1. Fel.*

collocandi morem inualuisse existimamus; vnde & Cõfessiones appellatas superius diximus.

13. HOSPITALE S. PEREGRINI. De Hospitale hoc apud S. Petrum in loco, qui Naumachia dicebatur, à Leone Tertio ædificato, hęc habet Anastasius Bibliothecarius in vita eiusdem Leonis: Hic autem præclarus Antistes diuinitus inspiratus Hospitale B. Petro Apostolo, in loco, qui Naumachia dicitur, à fundamentis nouiter construens, diuersa illic domorum ædificia decorauit, atque Ecclesiam in honorem Beati Petri Principis Apostolorum à nouo construxit; in qua etiam Sanctorum Christi Martyrum corpora deferens recondidit, & omnia, quæ in prædicto Hospitale erant necessaria, construxit; prædia illic vrbana, vel rustica pro alimoniis Christi pauperum, seu aduenis, vel peregrinis, qui ex longinquis Regionibus veniunt, obtulit ad exaltationem Sanctæ Dei Ecclesię, & pro salute Populi Romani] Idem Anastasius in eiusdē Leonis 3. vita, cum varia munera, quæ ipse Leo obtulit diuersis Ecclesiis, enumerat: Verum etiam (inquit) in Oratorio Sācti Peregrini, quod ponitur in Hospitale Dominico ad Naumachiam, fecit canistrum ex argento pens. lib. v. & vnciam vnam.] Extat adhuc Ecclesia Sancti Peregrini extra Portam Viridariam apud Sanctum Petrum, quæ est vnita, & annexa Basilicæ Sancti Petri, in cuius Archiuio vidimus quamplures Bullas Pontificum, qui Hospitale Sancti Peregrini Canonicis dictæ Ecclesiæ confirmant: extat inter cæteras Leonis Noni Bulla, sub Dat. nono Cal. Aprilis anno 5. Indictione 6. in qua Ecclesiam Sancti Peregrini, & Hospitale à Paschale Primo, Leone Quarto, & Ioanne Decimo Ecclesiæ Sancti Petri concessum, denuo confirmat; quod idem etiam in Bulla Innocentii Tertii, sub Datum Laterani anno Domini

1205.

1205. Indictione 8.continetur, in qua Sergii Secundi, Leonis Quarti, Leonis Noni, Innocentii Secundi, Hadriani Quarti, Vrbani, & Clementis Tertii confirmationes enunciantur. Ex quibus vnionem hanc Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ à Paschali Primo factam (quoad ipsum Sancti Peregrini Hospitale, quicquid de eius bonis fuerit) effectum non habuisse colligitur, cum ab ipso Paschali Primo, & aliis successoribus Pontificibus Basilicæ Sancti Petri (vt hodie etiam est) annexum constet. Hinc est, quod in Codice Vaticano, vt videre est, & in veteri exemplari Basilicæ Sancti Petri nulla fit huius vnionis mentio: in eis enim solum habetur dictũ Hospitale à Paschali fuisse instauratũ; his tamẽ verbis additis, *vt plenius in Episcopali libro continetur*: in quo Episcopali, seu Pontificali libro (ita enim Pontificia Bibliothecarij historia solet appellari) hæc vnio subiungitur. Certum enim est, ipsum Bibitothecarium ex ipsis originalibus Paschalis literis ad verbum suam contexisse historiam.

14. NAVMACHIA. Naumachia locum hic significat, in quo naualis pugnæ spectacula edebantur. Hæ plures temporibus Cæsarum Romæ fuerunt, nec vna dumtaxat trans Tyberim. Hic verò ea intelligitur, quæ sub ipsis radicibus Vaticani collis extabat, vt hic dicitur propè Sanctum Petrum, de qua sæpe mentio in historijs Ecclesiasticis. In historia martyrii Beati Petri, quæ Lini nomine circumfertur, scribitur peruenisse vnà cum Apostolo, & Apparitoribus, Populum infinitum ad locum, qui appellatur Naumachia, iuxta obeliscum Neronis in monte.] Græcus liber, qui in Bibliotheca Vaticana asseruatur de eiusdem Beati Petri passione sic habet: Deducitur Petrus ad eam partem montis Vatica-

ticani, quæ arborem supra terebinthum habet, & infra in subiecta planicie Naumachiam.] Et vbi de sepultura eiusdem Apostoli agitur: Sustulerunt (inquit) corpus Sancti Petri clam, & posuerunt illud sub terebintho prope Naumachiam, in loco, qui dicitur Vaticanus.] In actis quoque Sancti Sebastiani, quibus inserta est passio Sanctæ Zoæ Martyris dicitur: Itaque Beatissima Zoe, cum in Apostolorum natali ad Confessionem Sancti Petri oraret, ab insidiantibus Gentilibus arctata, ducitur ad Patronum Regionis Naumachiæ.] Hunc ipsum locum Naumachiæ, præter has Paschalis literas, designat quoque Bibliothecarius in vita Leonis Tertij, & Paschalis Primi, vbi de Hospitale Sancti Peregrini agit.

*Expliciunt Notæ.*

SANCTORVM CORPORVM

# B. CAECILIAE VIRG.

## ET MART. SOCIORVMQVE EIVS

VALERIANI, TIBVRTII, ET MAXIMI

NEC NON

## VRBANI, ET LVCII PONT.

DETECTIO VLTIMA, AC SOLEMNIS

REPOSITIO

*Sub Clemente VIII. Pontifice Maximo*

*Anno Domini M. D. IC.*

Paulo Sfondrato Tit. S. Cæciliæ Presbytero Cardinale.

*ANTONIO BOSIO AVTHORE.*

CVM BEATAE CAECILIAE Virginis, Sanctorumque Martyrum Valeriani, Tiburtij,& Maximi ſociorum eius; Vrbani, & Lucij Pontificum ſacra corpora multis ſæculis, hoceſt annorum ſpatio ferè octingentorum, prout à Paſchali Papa Primo in Aede Sanctæ Cæciliæ recondita fuerant, immota, & Mortalium oculis inuiſa latuiſſent: Tandem Chriſtianæ ſalutis M. D. IC. Clementis Octaui Pontificatus anno VIII. decimo tertio calendas Nouembris iterum Vrbi Romæ reuelata patuerunt.

Vltimæ detectionia SS. corporum B. Cæciliæ, & Sociorũ annus, & dies deſignatur.

Huiuſmodi autem reuelationis hæc fuit occaſio. Cum veterem Sanctæ Cæciliæ Eccleſiam, cuius Titulum obtinet Illuſtriſſimus Cardinalis Paulus Sfondratus, pro ſua in Deum, Sanctamque Martyrẽ pietate reparare, atque exornare cæpiſſet; inter cætera meditabatur ſub Ara ma-

Occaſio reuelationis SS. corporum.

iore,qua ad Orientem antiquo more conuertitur, cuſtodiam ſacris Reliquijs continendis extruere,quas partim in eadem Eccleſia adſeruatas repererat,partim ipſe Summi Pontificis conceſſu aliunde inuexerat, vaſiſque ex auro, & argento eleganter elaboratis incluſerat; Is enim locus, quo more, inſtitutoq; Maiorum non niſi Sanctorũ corpora humari conſueuerunt, meritò pretioſis eorumdem Reliquijs recipiendis idoneus eſt iudicatus. Ad id igitur opus conficiendum cum effodi illic neceſſe eſſet, quo ſoli depreſſio plus ſpatij ſacræ cuſtodiæ relinqueret, idem Illuſtriſſimus Cardinalis nihil ſe abſente moueri voluit; idque ob eam cauſam,quòd eiuſmodi effoſſione inuenturum ſperabat ſe corpora Sanctorum Cæciliæ,Valeriani,Tiburtij,& Maximi ſociorum Martyrum,nec non Vrbani,& Lucij Pontificum, quæ quòd in eo loco eſſent, pluribus coniecturis ad credendum adducebatur. Nam prẹter multorum veterum Scriptorum teſtimonia,ipſaſq; Paſchalis Papæ litteras, quas ſupra retulimus, quarum exemplar ex Vaticana Bibliotheca depromptum inter ſcripturas felicis memoriæ Sanctiſſimi Patrui ſui Gregorij Quartidecimi repererat, qui & ipſe in Cardinalatu huius Eccleſiæ Titulum obtinuerat; ſæpius idem Cardinalis antiquam in marmore inſcriptionem legerat in ſubterranea Confeſſione directè ſub Ara maiore poſitã, quo in loco effodiendum erat;quæ inſcriptio diſertè commemorat Paſchalem Pontificem illic ſupradicta Corpora condidiſſe. Accedebat etiam, & alterum non leue argumentum; quod intra eam feneſtellam, quæ ſub Altari maiore antiquo ritu exciſa erat ab ea parte, quæ Populum reſpicit, cuius exemplum adhuc in pleriſque veteribus durat Eccleſijs, vbi & lampades ad honorem Sanctorum accendi ſolent, aduerterat rotundum foramẽ in profundum deſcendens; quo viſo recordatio quædã veteris conſuetudinis Cardinalis animum tetigit,nempè ſuetum antiquitus ſupra tumulos, Sanctorumq; Martyrum

Cardinalis Sfondrati plures coniecturæ, qđ ſacra corpora SS. eſſent ſub Ara maiore collocata.

rum memorias per foramen huiuſcemodi, ſeu, vt Sanctus Germanus appellat, cataractam brandea, ſiue vela demitti, quæ propius ſacris admota Reliquijs diuinam quandam virtutem miraculis plerumq; teſtatam traherent; ideoq; non parua apud priſcos illos Chriſtianos veneratione haberentur; qualia etiam Romanos Pontifices Regibus, & Principibus exteris dono mittere ſolitos Beati Gregorij Magni exemplo cognoſcimus. Hac ergo animo præcepta de eiusmodi foramine opinione, & ex alijs etiam, quæ ſupra retulimus indicijs, & argumentis Cardinalis intra ſubiectum vacuum, quo foramen reſpiciebat, Sanctę Virginis Cæciliæ, ſociorumq; Martyrum corpora adſeruari diuino inſtinctu cogitauit; Nec eum ſpes, & opinio fefellit; nam cum, ex quo eius Eccleſiæ regimen ipſi diuinitus obtigit, incredibili ſemper deſiderio flagraſſet, proprijs oculis, ſi Deo placitum eſſet, Sancta illa Corpora videndi, coramq; venerandi, atque identidem videre cuperet quomodò poſt tot annorum curricula ſe ſe haberent, & num ob temporis longinquitatem detrimenti aliquid paſſa eſſent, vt eorũ veneratio-ni, ac dignitati, quantum in ipſo eſſet, conſuleret; placuit omnipotenti Deo tam pio ipſius Cardinalis voto benignè obſecundare, pretioſumq; Sanctæ Cæcilię corpus, vnàq; Sociorum, quæ longa temporum ſeries celauerat, eius regiminis tempore reuelare.

S. Germanus in ep. ad Hormiſdã Papam lib. 1. epiſt Pont. fol. 524.

S. Greg. lib. 3. Regeſt. ep. 30. & alibi ſæpe.

Igitur cum ad prædictam ſacræ Reliquiarum cuſtodiæ extructionem inchoandam, de qua initio dicebamus, idem Cardinalis ad hanc ſe ſe Tituli ſui Eccleſiam peculiari incenſus religione contuliſſet, eo quo diximus, anno, & die, quæ dies Mercurij fuit, cum coram adeſſet, præeſſetque, dirui pauimentum iuſſit, quo excuſſo, & ſubiecta humo egeſta, ſuperiorique pariete demolito duæ marmoreæ arcæ ternos circiter infra pedes apparuerunt, quæ quidem ſe ſe inuicem ferè contingebant; erant autẽ ſecundum Aræ longitudinem collocatæ, ita vt ipſa Ara

Arcæ duæ marmoreæ ſub Ara maiore detegũtur.

eis ſuperpoſita immineret. Hæc omnia præſente ipſo Illuſtriſſimo Cardinale acta, detectaque ſunt, qui antequam vlterius quidquam progrederetur, aut attentaret, idonei fidei Teſtes accerſiri iuſſit; fuerunt hi Reuerendiſſimus Paulus Iſernieñ. Epiſcopus Summi Pontificis Vicarij Viceſgerens, Iacobus Butius Canonicus Lateranenſis, & Congregationis eiuſdem Illuſtriſſimi Vicarij Secretarius, Reuerendi item Patres Petrus Alagona, & Petrus Morra è Societate Ieſu, quibus aduenientibus, ac nonnullis alijs ex familia eiuſdem Cardinalis aſpectantibus diligenter omnia deinceps ſunt explorata.

Teſtes inuentionis corporum S. Cæciliæ & ſociorũ.

Ac primum de marmorea priore arca, hoc eſt ea, quæ limina ſpectabat Eccleſiæ, vbi tegumen item è marmore remotum eſt, animaduerſum, capſam intus è cupreſſo incluſam coerceri, ſenos palmos longam, vnum & ſemis latam, ac binos altam: Erat illa haud quidem claue obſerata, clauiſque confixa, ſed ligneo ductili operculo ad oras inſerto, compactoque clauſa, quod ſcilicet ab extremo tantum admota manu dimoueri, ac reduci, & retrahi poſſet; Quæ via aperiendi vbi poſt breuem inquiſitionis moram tandem fauente Deo innotuit, ad id ipſo Cardinale proprijs manibus operã deuotè præſtante, operculum, qua decebat reuerentia, extractum, remotumque eſt. Aperta capſa circumornata vndique apparuit intus textili quodam ſericæ quam vulgò appellant ſaiæ ſimilitudinem referente coloris ex viridi, & rufo permiſti, cuius tamen nitorem temporis longinquitate obfuſcatũ agnoſceres; hoc illud eſt textile, de quo ſic Bibliothecarius in Paſchali, dum dona, quæ is Pontifex huic Eccleſiæ cõtulit, recenſet: *Fecit in arcella ad corpus iam dictæ Virginis veſtem de quadruplo cum pericliſin*. Intra hanc capſam B. Cæciliæ Virginis corpus extabat ſerico, atque fuſco cooper tum velo, ſubterque velum veſtes aureæ virginei ſanguinis notis reſperſæ fugaci, tenuique fulgore tranſlucebãt, cum quibus aureis indumentis (quibus etiam ipſa viuens

Corpus S. Cæciliæ in cupreſſina capſa incluſum inuenitur.

Cupreſſina capſa in qua erat corpus S. Cæciliæ qualis.

Biblioth. in vita Paſchal. relatus ſupra fol. 146.

Corpus S. Cæciliæ quomodo inuentum eius menſura, & ſitus deſcribitur.

vtebatur

vtebatur)idem ſacrum Corpus à B. Paſchale repertum fuiſſe cùm eiuſdem litteræ, tum Bibliothecarius, alijque, quorum ſupra meminimus, referunt. Sed & quemadmodũ ipſe Cardinalis ſe animaduertiſſe teſtatur, ſub aureis veſtibus rigidum cilicij tegmen propius ſacris oſſibus hæreſcens latebat, de quo ita Acta paſſionis eiuſdem commemorant: *Cæcilia verò ſubtus ad carnem cilicio induta deſuper auro textis veſtibus tegebatur*. Inſuper ad pedes ſacrati Corporis linteaminum glomus iacebat conuolutorum, illa nimirum, quæ ipſe Paſchalis in litteris inuentionis ſuæ commemorat ſic ſcribens: *Vbi etiam linteamina, cum quibus ſacratiſsimus ſanguis eius abſterſus eſt de plagis, quas ſpiculator trina percuſsione crudeliter ingeſſerat, in vnum reuoluta, plenaque cruore inuenimus*. De quibus etiam linteaminibus ſic ipſius paſſionis narrat hiſtoria: *Cuius ſanguinem omnes bibulis linteaminibus Populi, qui per eam crediderant, extergebant*. Virgineum Corpus palmos quinque cum ferè dimidio longũ apparebat, haud dubiè vetuſtate exſuccis oſſibus, atque contractis; nam viuentem Virginem excelſiore ſtatura fuiſſe quis ambigat? Iacebat id corpus in dexterum incumbens latus, paululum contractis cruribus, brachijſque ante proiectis, ceruice autem valde reflexa, facieque ad humum procumbente dormientis inſtar, eam, vt credi poteſt, formam retinens, in qua poſt trinam percuſſionem, cui triduum ſuperuixit, animam Deo reddens conciderat, fueratque pariter in Cœmeterio ab Vrbano Pontifice collocatum: quod ita Paſchalis ſub Altari maiore repoſuerat, vt ſumma pars eius ad meridionalem, extrema ad ſeptentrionalem Eccleſiæ partem ſpectaret: Hunc iacentis Corporis ſtatum marmoreo ſimulachro, de quo infra dicetur, Illuſtriſſimus Cardinalis Sfondratus exprimi curauit.

Supra fol. 3.

Supra fol. 44.

Supra fol. 26.

In altera autẽ proxima, & maiori arca marmorea, quæ in interiori parte, nimirum vlterius verſus Cõfeſsionem, & Altare locata erat, trina inuenta ſunt corpora Sanctorum,

Corpora SS. Valer. Tiburtij, & Maximi inueniuntur, & eorum ſitus, & forma ponitur.

rum, qui in eadem fuerant ſocij paſſione, nempè Tiburtij, Valeriani, & Maximi, quæ & ſub hoc ſacro Altare à Paſchale fuiſſe repoſita conſentiens teſtatur hiſtoria: Quodlibet autem corpus peculiari linteo, ſeu velamine proprio iuxta veterem conſuetudinem erat inuolutum; erant autem ita collocata, vt ad eam partem, in qua primi caput recubabat, quæ erat ſiniſtra Altaris, ſecundi pedes extenderentur; tertium autem corpus ex oppoſito ſecundi eo ſtatu, quo primum ſimiliter iacebat. Et quamquam nulla adeſſet litterarum nota, quæ illa inter ſe nominatim ſecerneret, aut deſignaret, perſpicuè tamen dignoſci, & diſtingui potuerunt: nempè quod primũ erat S. Tiburtij, ſecundum in medio poſitum S. Valeriani, tertium verò Sancti Maximi; nam prętерquam, quòd hoc ordine in epitaphio ſuperius indicato, & quod infra referetur, à Beato Paſchali Pontifice numerantur, corpus S. Tiburtij ab illo S. Valeriani eo argumento recognitum eſt, quoniam Sancti Tiburtij corpus capite carebat, cum foris in Eccleſia proprio in tabernaculo conſeruaretur, vt creditur ab ipſo Paſchali Papa ſublatum; Corpus deinde S. Valeriani diſtinctum eſt à Sancti Maximi, ex eo quod inuentum eſt illius caput à trunco corporis diuulſum, quod ęi gladio reciſum fuerat, magnitudine quòque, & formę proportione capiti S. Tiburtij ita ſimile, vt duorum pari ferè ætate fratrum eſſe viderentur; Contra verò Sancti Maximi, qui non capite plexus, ſed ad necem plumbatis cęſus fuerat, repertum eſt caput ita cum corpore coniunctum, vt cum ipſe Cardinalis tollere illud vellet, vt extra ſimul cum alijs S. Valeriani, & Tiburtij publicè in altari coleretur, magno id conatu, & labore perfecerit; oſtendebat etiam idem caput percuſſionum, quas ex plumbatis acceperat, notas, & fractionis ſigna, licet formam integram retineret, in quo ſubflaua quòque cæſaries quaſi viuentis, & omne capillamentum reperſa ſanguine ita incorrupta cernebantur, vt ad literam in eo

Corpora SS. Valer. Tiburtij, & Maximi quomodo inter ſe fuerint diſtincta.

Caput S. Maximi cum plumbatarũ per cuſsionib. inuentum.

comple-

completum dici posset illud euangelicum: Capillus de capite vestro non peribit. Quod autem multò cæteris grandius erat ratione proportionis habita, conijcere licuit B. Maximum Valeriano, & Tiburtio magnitudine, & proceritate corporis præstitisse; Ante hanc arcam lapidea Paschalis tabula extabat Sanctorum Martyrum nomina versibus expressa continens, quam infra reddemus. His verò corporibus nihil motis, sed in suo pristino, ac proprio loco relictis ad B. Cæciliæ corpus speciali deuotione honorandum conuersus Illustrissimus Cardinalis Sfondratus ex marmorea priore arca cupressinam capsam, in qua collocatum erat, extrahi iussit, facibusque circumlucentibus, & pio comitatu in Cellam Monasterio cohærentem intulit, quæ Cella est in capite nauis minoris ad dexteram maioris Aræ, in qua audiri confessiones Sanctimonialium solent; Ipse autem Cardinalis aliam ligneam capsam iam fieri curauerat, eamque serico totam intus contexerat, in qua veterem cupressinam reposuit, diligenterque clausit, & obsignauit (hanc nouam deinde ligneam capsam à se factam, posteaquam sacrum Corpus pristino loco redditum est, dono misit Mediolanum Monasterio Virginum B. Pauli, in quo & Sorores, & aliæ ex sua familia Virgines, & Affines Deo se dedicarunt). In ea igitur Cella, quo modo diximus, clausa, & sigillis obsignata capsa deponitur, erigiturque altiore suggesto decenter ornato, vt ad fenestrã pertingeret ferrea crate cancellatam, vnde ab ijs, qui intra Ecclesiam essent conspici commodè, & venerari posset; Quod statim vt per Ciuitatem fama vulgauit, concursus fieri cæptus, qui, vt infra dicetur, postmodum magis magisque increbuit. At Cardinalis Cellæ ostio firmiter obserato, sigillisque munito claues penes se met ipsum semper retinuit, cæterisque etiam, quæ ad tanti thesauri custodiam necessaria videbantur ordinatis, confestim, vt de eius inuentione summum Pontificem certiorem

Luc. 21.

S. Maximæ magnitudinis, & corporis proceritatis insignis.

Corpus S. Cæciliæ ad Populi conspectũ collocatur & vbi.

Capsa lignea recẽter facta, in qua recondita fuit cupressina capsa Mediolanum dono transmissa.

Cardinalis Sfondratus Tuſculum ad ſummum Pontificẽ de noua SS. corporum inuẽtione certiorãdum proficiſcitur.

rem faceret, Tuſculum, vbi ille per autumnales eos dies morabatur, profectus eſt. Qui re audita incredibili ſe deſiderio flagrare oſtendit, liceret vt ſibi confeſtim ad Vrbem reuerti, coramque ſacra Pignora venerari, quod cum illi grauis podagræ morbus, quo diſtinebatur, denegaret; vt primum eo leuaretur adfuturum promittens (ſicut & præſtitit) interim Cæſarem Cardinalem Baronium peritiſsimum antiquitatis, & nobilem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Authorẽ ſacris Reliquijs luſtrandis, recognoſcendiſque delegauit, qui cum Collega Sfondrato Romam reuertens, vti iuſſus fuerat, omnia diligenter, religioſèque contemplatus eſt, debitaque veneratione Sacrum celebrans proſequutus, vt rem totam Pontifici teſtimonio ſuo comprobaret, diem vnum Romæ moratus Tuſculum eſt regreſſus.

Cæſar Card. Baronius à Pontifice ſacris Reliquijs recognoſcendis delegatur.

Poſt autem non multò ex his, quæ ſupra prẽmiſſa ſunt, monumentis recolens Illuſtriſsimus Cardinalis Sfondratus Paſchalem prẽter Supradicta, corpora etiam Beatorũ Vrbani, & Lucij Pontificum in eadem Eccleſia collocaſſe, ad ea perquirenda iuxta locum Superiorum Fabros altius fodere iuſsit, ſtatimque ſubter arcam marmoream, vnde extractum fuerat S. Cæciliæ corpus, ſimilis alia arca detecta eſt, in qua duorum Pontificum Vrbani, & Lucij corpora condita erant proprio ſeparatim velo circumuoluta; præpoſterè tamen iacebant, ita vt primi caput ad dexteram, vt illud B. Cæciliæ; alterius ad ſiniſtram vergeret Aræ maioris. Denique, quæ in tribus his, quas retulimus, arcis erant corpora, illorum eſſe Sanctorum, quos ſupra diximus, declarat epitaphium, cuius aliàs ſupra meminimus, eis ab eodem Paſchale poſitum. Id enim epitaphium in inferiore, ac ſubterranea Confeſsione ſub ipſo maiore Altare adhuc legitur; Nam cum Paſchalis ternas à nobis memoratas arcas quadrato muro validè ſepſiſſet, ante eum in dicta Confeſſione Arulam erexit; ſupraque, quæ totum ſepulchrum

Corpora SS. Vrbani, & Lucij Papæ detegũtur, & quomodo.

Epitaphiũ a Paſchale poſitum in confeſſione Sanctorũ Martyrũ a ſe

clau-

clauderet, lapideam tabulam parieti inſeruit ſupradictorum ſex Sanctorum Martyrum his exametris verſibus inciſa nomina continentem. recondito rum nomi na continens.

HANC FIDEI ZELO PASCHALIS PRIMVS AB IMO. ECCLESIAM RENOVANS DVM CORPORA SACRA REQVIRIT. ELEVAT INVENTVM VENERANDÆ MARTYRIS ALMÆ. CÆCILIÆ CORPVS HOC ILLVD MARMORE CŌDENS. LVCIVS VRBANVS HVIC PONTIFICES SOCIANTVR. VOSQ. DEI TESTES TIBVRTI VALERIANE. MAXIME CVM DICTIS CONSORTIA DIGNA TENETIS. HOS COLIT EGREGIOS DEVOTE ROMA PATRONOS.

Clara vel in primis huius tempore inuentionis erga egregios hos Patronos, ac Martyres Populi Romani pietas, ac deuotio extitit, præcipuèque in ipſam B. Cæciliã, quæ ex ipſo tumulo extracta in ea, quam diximus, Cella ad caput dexteræ nauis ſuper ſublime ſuggeſtum intra præfatam arcam collocata ipſius Populi oculis è feneſtra ſe ſe oſtendebat. Erat id ſuggeſtum ſerico, aureoque ſtragulo coopertum, arcaque ſimiliter; flores vndique ex auro, argentoque texti enitebant; nec non candelabra, & argenteæ lampades, cereique ex omni parte collucebant; nec thymiamata, aut thura adoleri neceſſe fuit, cum ex ipſius Virginis ſanctiſſimo corpore admirabilis, ac diuinus, qualis roſarum eſt, & liliorum odor, ſuauiſſimus exſpiraret. Ad id ſpectaculum incredibile dictu eſt quantus Populi concurſus factus ſit; nam quibus aditus in Tranſtyberinam Regionem Pontes, ac Viæ confertiſſima euntium, ac redeuntium turba conſtrepebant, quæ quidem quò propius ad ipſius Sanctæ Martyris Aedem appropinquabat eo magis, magiſque ſtipabatur; multorum ſæpius pedeſtre iter rhedis, quæ vltrò, citròquè

Maxima Populi Romani erga hos Sanctos Martyres deuotio.

Odor ſuauiſsimus e corpore S. Cæciliæ effluebat.

Maximus Populi cõcurſus ad viſendum, & veneran dũ corpus s. Cæciliæ.

citròque voluebant, morantibus; Vbi verò ad limina, & atrium Eccleſiæ ventum erat, nullo modo ingentẽ multitudinem ſpatium loci capiebat, quam vndantem foribus,& repulſam retroferri videbamus: Quin ægrè admiſſa Populi parte ianuas Eccleſiæ claudi non ſemel neceſſitas coegit, adhibitaque ad arcenda pericula Heluetiorum Militum è Pontificia cohorte cuſtodia, qui etſi muneri ſuo non deeſſent, vix tamen retinere impetum Populi poterant; qui ne tum quidem, cum Cardinalis ipſe in Eccleſia erat (erat autem penè aſsiduus) aut dignitatis, aut ſalutis ipſius reſpectu ſummoueri poterat. Matronæ præcipuè,Puellæque Romanæ ex primaria nobilitate Cõciuis ſuæ Virginis amore perculſæ properare,adeſſe,ſupplices,ac venerabundæ procumbere, nec ante cõſurgere, quã exacto die Sol occidens domum, impatienti reditus deſiderio,reuocaret. Has excubias,quandiu Virgineum corpus in publico fuit,deuotus fœmineus ſexus per dies ſingulos frequentauit. Sed quibus verbis ſatis explicari poſsit,quantò ipſæ ſacræ Virgines felici Cæciliæ nomini dedicatæ pietatis ſenſu Patronam ſuam diu, noctuq; cuſtodirent, quam alacri corona cingerent, quibus choris concelebrarent, quam ardentibus implorarent precibus, vt ſe beatas, ac felices ducerent, quod ſuo tempore ipſa ſe caſtiſsima Martyr earum oculis ſpectãdam obtuliſſet. Adijt & ex Sacro Senatu purpuratorum Patrũ pars maxima, ipſeque ſummus Pontifex ad Vrbem reuerſus, non ſemel ad viſendum, venerandumque acceſsit. Enimuerò ipſe in primis Paulus Sfondratus, cuius in Titulo pretioſus theſaurus fuerat reuelatus, erat in Eccleſia aſsiduus, ſacrumque Pignus intuendo expleri nequibat, nec diuelli vllo vnquam tempore poterat; Ac meritò ſanè ſpirituali exultabat gaudio, quod dum nouum ornatum, inſtaurationemque molitur Eccleſię ad ſuæ pietatis opera contẽplanda caput è tumulo tollere,atque egredi viſa ſit Virgo nobiliſsima: Quæ eundem quòque

Car-

Mira Matronarum erga B.Virginẽ Cæciliam deuotio,& religio.

Excubiæ aſſiduæ ad corpus S. Cæciliæ.

Sacrarum Virginum erga S.Cæciliã ſumma pietas.

S. Pontifex,& Cardinales plu ries cor-- pus S.Cæciliæ viſerunt.

Pauli Sfondrati Cardinalis mira religio, & aſſiduũ obſequiũ erga corpus S.Cæciliæ,

Cardinalem ſingulari gratia proſequi dignata eſt ; cui vehementer optanti , precantique ſæpius aliquid ſibi Reliquiarum eius concedi, cum ex ſacro Corpore nemo, ac ne ſummus quidem Pontifex ob maximam reuerentiam tollere auſus eſſet, vltrò de eodem illi particulam benigna Virgo obtuliſſe, ac donaſſe viſa eſt . Nam cum ex linteaminibus tinctis ſanguine , quæ ad pedes iacebant ( ſacra etenim oſſa nec ipſe quòque tangere audebat ) non nihil idem Cardinalis recidere vellet , quorũ pleriſque alijs purpuratis Patribus particulæ diuiſæ fuerant , ad eam, quam ſibi recidebat partem, ſorte adhærescens Virginei cranij fragmentum acceſsit , de quo conijci poteſt , quòd ceruici proximum eſſet, ad triplicem ictum Carnificis penè reciſum fuiſſe ; ita vt facilè, cum eiuſdem vulnera linteaminibus illis , quemadmodum in hiſtoria traditur , à Fidelibus abſtergerentur, ipſa abſterſione in eis attrahi, atque auferri contigerit ; quod deinde Cardinali ob ſingularem in ſe pietatem gratificans Sancta Martyr voluit ſpontè , & liberaliter elargiri ; idemque ipſe pretioſiſsimæ inſtar gemmæ maximo apud ſe cum honore conſeruat .

*Beatiſſ. Virgo Cæcilia ſponte de ſuis Reliquijs Cardinali Sfondrato benignè elargitur .*

Menſem verò integrum in eo, quẽ diximus, proſpectu Populi honorabile Sanctuarium manſit, hoc eſt, vſque ad diem vigeſimum ſecundum Nouembris , qui dies anno vertente eiuſdẽ B. Cæciliæ feſtus eſt, atque natalis. Quo toto tempore plurima Populus beneficia , per interceſſionem ipſius Sanctæ Martyris, à Deo optimo, maximo accepit: plurima ſunt patrata miracula , cum multi è varijs, grauiſſimiſque morbis, atque ægritudinibus liberati fuerint ; quod illi palam gratias agentes profeſsi ſunt, & ſolutorum votorum monumenta teſtantur . Cum igitur vigeſima ſecunda Nouembris illuxiſſet dies ; diem hanc ipſam glorioſo quondam Virginei martyrij triumpho celebrem , noua ſacri Corporis repoſitione , ſolennique ſacrificio celebriorem reddere pius Pontifex Clemens

*Incipit relatio repoſitionis SS. corporum S. Cæciliæ & Socior.*

*Miracula plurima interceſſione S. Cæciliæ facta .*

inſtituit. Cumque promulgatum de ea re per Vrbem eſſet edictum, ampliſſimaque adeuntibus conceſſa Indulgentia, ad tumultum, periculaque vitanda, & quò ipſi Pontifici, frequentique Populo quietior pateret acceſſus, de ambitu cautum, quo minus per habitata Tranſtyberinæ Regionis rhedæ bijuges circumirent: Hora erat ferè quartadecima, cum ad limina S. Cæciliæ optimus Pontifex Clemens viij. ſacro Senatu, palatinaque Curia comitante, & magna Populi ſtipante caterua peruenit. Solutis ad Aram maiorem votis, cæleſtique Hoſtia adorata, ſtatim ſacrarium ingreſſus eſt; Erat illic capſa ex argento eiuſdem Pontificis ſumptu ad S. Martyris corpus honorificentius excipiendum parata ponderis, menſuræ, formæ, ac pretij, vt infra dicetur; hanc ille conſueta, quæ in ritualibus libris habetur, precatione benedixit: Poſt hæc Pontificio pluuiali, ac pretioſa thiara, quam regnum vocant, ornatus; ſeptem candelabris, Cruce, ac Epiſcopis, & Cardinalibus ſolenni more indutis præcedentibus, ſub vmbella auro, argentoque coruſcante ab Oratoribus Senatus Veneti, Ducisque Sabaudiæ, Proceribuſque Romanis delata; Chriſtianiſsimi Regis Oratore pluuialis fimbriam attollente è ſacrario ad Tribunal ſub abſyde præparatum proceſsit. Cardinales, qui numero quadraginta duo aderant, hi fuerunt.

Clemens viij. ad Eccleſiam S. Cæciliæ accedit ad ſolemne ſacrum celebrandum.

Capſa argentea, in qua alia cupreſſina includenda erat a Pontifice benedicitur.

Cardinalium numerus, & eorum nomina, qui ſolemni huic repoſitioni interfuerunt.

Alphonſus Geſualdus Epiſcopus Oſtienſis ſacri Collegij Decanus.

Petrus Deza Tit. S. Laurentij in Lucina Presb. Card.

Alexander Medices Tit. S. Mariæ Tranſtyberim Preſbyter Cardinalis Florentinus.

Antonius Maria Saluiatus Tit. S. Mariæ de Pace Presb. Card.

Auguſtinus Valerius Tit. S. Marci Presby. Cardinalis Veronenſis.

Simeon Talliauia de Aragona Tit. S. Praxedis Preſbyter Card. de Terranoua.

Do-

Dominicus Pinellus Tit. S. Chryſogoni Presb. Card.
Fr. Hieronymus Bernerius Tit. S. Mariæ ſupra Mineruam Presb. Card. Aſculanus.
Antonius Maria Gallus Tit. S. Agnetis Presby. Card.
Marianus Perbenedictus Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Camerino.
Fr. Gregorius Petrochinus Tit. S. Auguſtini Presby- Card. de Montelparo.
Paulus Sfondratus. Tit. S. Cæciliæ Presb. Card.
Benedictus Iuſtinianus Tit. S. Priſcæ Presb. Card.
Franciſcus Maria Tit. S. Mariæ in Aracæli Presbyter Card. de Monte.
Octauius Parrauicinus Tit. S. Alexij Presb. Card.
Hieronymus Matthæius Tit. S. Pancratij Presb. Card.
Octauius Aquauiua Tit. S. Mariæ de Populo Presby. Card.
Flaminius Platus Tit. S. Honuphrij Presb. Card.
Franciſcus Maria Tauruſius Tit. S. Bartholomæi in Inſula Presb. Card.
Camillus Burgheſius Tit. SS. Ioannis, & Pauli Presb. Card.
Cæſar Baronius Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Card.
Laurentius Blanchettus Tit. S. Laurentij in pane, & perna Presb. Card.
Franciſcus de Auila Tit. S. Crucis in Hieruſalem, Presby. Card.
Franciſcus Mantica Tit. S. Thomæ in Parione Presby. Card.
Pompeius Arrigonius Tit. S. Balbinæ Presb. Card.
Bonifatius Beuilaqua Tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Card.
Alphonſus Vicecomes Tit. S. Xyſti Presb. Card.
Dominicus Tuſcus Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Card.
Arnaldus Doſſat Tit. S. Euſebij Presby. Card.

Paulus

Paulus Aemilius Zacchias Tit.S.Marcelli Presby. Card.
Syluius Antonianus Tit. S. Saluatoris in Lauro Presby. Card.
Robertus Bellarminius Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Card.
Bonuiſus Bonuiſius Tit. S. Blaſij de Anulo Presbyter Card.
Franciſcus Sfortia S. Mariæ in Via lata Diac. Card.
Alexander Perettus S. Laurentij in Damaſo Diac.Card. de Monte alto.
Odoardus Farneſius S. Euſtachij Diac. Card.
Antonius Fachinettus SS. Quatuor Coronatorum Diac. Card.
Petrus Aldobrandinus S. Nicolai in Carcere Diac. Card.
Cynthius Aldobrandinus S. Georgij Diac. Card.
Bartholomæus Cæſius S. Mariæ in Porticu Diac.Car.
Andreas Perettus S. Mariæ in Dominica Diac. Card.
Io. Baptiſta Detus S. Mariæ in Coſmedin Diac.Card.

Pontifice conſidente, cum Cardinales circum ſe, & cæteri ad ſua quique loca retuliſſent, quibus capiendis veteris Presbyterij ſpatium contabulato ſuggeſto amplificatum erat, cùm ſolitæ adorationis ceremonię à Cardinalibus peractæ ſunt, tum pſalmi horæ tertiæ à ſchola Cantorum decantati. His peractis ſacerdotalibus veſtibus Pontifex indutus è tribunali ad Aram deſcendit, cui Populum verſus acceſſio facta erat ligneæ tabulę magnificè apparatæ, in eaque cupreſſina capſa cum ſacro Virginis corpore aureo cooperta ſtragulo collocata erat, vbi adſiſtentibus Diaconis Cardinalibus Sfortia,& Montisalti Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium orſus eſt, primam orationem dixit de Sancta Cęcilia, alteram de SS. Valeriano, Tiburtio,& Maximo; Illuſtriſsimo autem Cardinale Sancti Georgij Cynthio Aldobrandino Euangelium canente reliquum Miſſæ maxima cum religione

Cardinales ſummo Pōtifici celebranti aſſiſtentes.

vſque

vsque ad finem communionis Pontifex est prosecutus. Hoc lectum tempus iuxta veterem in similibus Ecclesię ritum Sanctæ Virginis, ac Martyris corpori in pristina Confessionis sede reponendo; Eum ad locum Tituli Præses Paulus Sfondratus ante descendit, quo & argentea capsa, postquam benedicta est à Pontifice, deportata fuerat, vt ea, quæ repositioni necessaria essent, parata haberētur. At Pontifex ad Aram ter sacro Corpori thura dedit; quatuor inde Diaconi Cardinales Farnesius, SS. Quatuor Coronatorum, Aldobrandinus, & Cæsius ad totidem capsæ latera dispartiti, eam summa cum reueren tia subleuarunt, præcedente Cruce, aureisque facibus versus Confessionem ijdem capsam detulerunt, subsequente summo Pontifice, atque admotis piè manibus adiuuante; cæteris verò Cardinalibus vndique adsistentibus: Interea Cantorum schola concinebat antiphonã *O Beata Cæcilia, quæ Almachium superasti, Tiburtium, & Valerianum ad martyrij coronam vocasti*. Et iam à quatuor Cardinalibus ad Confessionem perventum erat, cum accedens Pontifex ijsdem Diaconis adiuuantibus intra argenteam, quam ipse fieri curauit, cupressinam capsam sacro cum Corpore inclusit, acceptaque à Sfondrato Cardinale argentea tabella, in qua incisa erat inscriptio, quæ infra ponitur, eandem ad latus corporis eiusdem Virginis collocauit, trina deinde thurificatione veneratus in genua pronus accidit, ac aliquo temporis spatio, pijs ora lachrymis rigans orauit, demissoque tandem operculo, & capsa clausa, surrexit; Hinc ad Altare regrediens sacrosanctum Missæ sacrificium ad finem perduxit; Populoque, qui tanto concursu conuenerat, vt eum ne dum Templum, sed ne exteriora quidem atria caperent, pontificia benedictione impartita, læta illius sacræ repositionis solemnitas feliciter est absoluta: Et Pontifex idem pio egregiè functus munere in Vaticanum redijt. At Populi frequentia deinceps ad noctem vsque affluere non desti-

Arca cupressina, in qua corpus S. Cæciliæ collocatum erat à quatuor Cardinalibus subleuatur, & ad Confessionem deportatur subsequente Pontifice, & Cardinalibus.

Cupressina capsa, in qua erat corpus S. Cæciliæ à Pontifice intra argẽteam aliã collocatur.

Populi maximus concursus ad Ecclesiã S. Cæciliæ.

Mira cœli ſerenitas in feſto S. Cæciliæ.

deſtitit, cælo ipſo obſecundante, quod cum fœdis imbribus per dies proximos exundaſſet, eo die ita placidum, ac ſerenum affulſit, vt hybernus rigor in vernam temperiem verſus eſſe videretur.

Capſa argentea à Clemente viij. ad B. Cæciliæ corpus cõtinendum facta, cuius menſuræ, ponderis, & formæ fuerit.

Capſa argentea, quam Clementis Pontificis liberalitas obtulit, ponderis eſt librarum CCLI. pretij aureorum quatuor millium trecentorum nonaginta duorum; menſuræ, longitudinis palmorum ſex; latitudinis duorum circiter; altitudinis duorum, & vltra. Intus tota eſt purpureo ſerico circum ornata, foris ipſum argentum pluribus locis auro illitum, præſertim in ijs, quibus elaboratum eſt, ornamentis; ſunt hæc præcipuè ſparſæ vndique, & eminentes ſtellulę, Seraphim ad octonos angulos exculpti totidem, & Pontificia ab vtroque longitudinis latere inſignia in medio ſimili celatura; poſita eſt ſupra operculum inſcriptio grandibus litteris, prominentibuſque, & ipſis auro fulgentibus. Quæ omnia, ne penitus in tumuli tenebris condita deliteſcant, hic tuis delineata oculis ſubijcienda exiſtimauimus.

Argenteam hanc capſam, cum veteris marmoreæ arcæ angustiæ non caperent, Illuſtriſſimus Cardinalis Sfondratus

intra

intra aliam maiorem similiter è marmore arcam inclusit, reposuitque in eodem antiqui loci vestigio, vbi Paschalis posuerat propè alia quinque supradictorum SS. Corpora, quæ immota, vti primitus fuerant, remanserunt; vt ex inscriptione apparet, quam argenteæ tabellæ incisam, & ad latus corporis Sanctæ Virginis supra diximus collocatam, quæ ita habet.

Argentea capsa in alia marmorea includitur.

*Hic requiescit corpus S. Cæciliæ Virginis, & Martyris, quod à Paschali primo Pontifice Maximo ipsa reuelante repertum, & in hanc Ecclesiam translatum, et sub hoc Altari vnà cum corporibus SS. Martyrum Lucij, & Vrbani Pontificum, necnon Valeriani, Tiburtij, & Maximi reconditum.*

Inscriptio in argētea tabella incisa, & intra B. Cæciliæ capsā collocata.

*Iterum post annos ferè DCCC. Clemente VIII Pont. Max. cum ijsdem Sanctis Martyribus lucem aspexit die XX. Octobris anno Dominicæ Incarnationis M. D. IC. Cuius S. Virginis corpus prædictus D. N. Papa Clemens veteri lignea capsa, in qua iacebat, argenteæ inclusa intactum, immutatumque hoc eodem loco, in quo fuerat collocatum, post peracta Missarum solemnia maxima cum deuotione, & lachrymis toto spectante Populo reposuit XXII. Nouembris ipso festo Virginis die M. D. IC.*

*Ad cuius latus in alia seorsum capsa prædicti*

*tres Martyres, Valerianus, Tiburtius, & Maximus requiescunt; nec non sub ipso Virginis corpore in alia similiter arca prædicti duo Martyres, ac Pontifices Lucius, & Vrbanus, prout à Paschali Pontifice omnes in ijs conditi sunt.*

*Ego Paulus Tituli S. Cæciliæ S.R.E. Presbyter Cardinalis Sfondratus, cui licet miserrimo peccatori prædicta corpora, quæ diuturnitate temporis ferè in tenebris iacebant, & inuenire, & videre, & venerari à Deo Optimo Max. datum est, memoriam hanc hisce litteris consignaui. Anno Dominicæ Incarnationis M. D. IC. Die XXII. Nouembris, sedente Clemente VIII. Summo Pontifice, eiusdem Pontificatus Anno VIII.*

Hæc sunt, quæ in postrema Corporis B. Cæciliæ Virginis, Sociorumque Martyrum detectione, ac solemni repositione acta sunt, prout cùm oculis nostris nos ipsi conspeximus, tùm ex ipsius Cardinalis Sfondrati, qui his omnibus diligenter astitit, ac præfuit, fideli relatione cognouimus. Quibus non ab re me facturum putaui, si ornamenta, donaque adijciam, quæ idem Illustrissimus Cardinalis, partim antequam sacra corpora detegerẽtur, partim post eorum detectionem, collocationemq;, & quidem maiori quodam studio, & religionis ardore, in hanc sui Tituli Aedem contulit; sunt enim digna omnia,

Author omnia, quæ scripsit, partim oculis proprijs vidit, partim Cardinalis Sfondrati fideli relatione cognouit.

nia, quæ vel ad piarum mentium ſolatium, vel ad notitiam Exterorum, quibus hæc intueri non eſt conceſſum, memoriæ litterarum tradantur. Igitur præter communem totius Eccleſiæ inſtaurationem, quam ob temporis diuturnitatem pluribus locis ruinam minantem iam inde ab eo tempore, quo eius primùm regimini admotus eſt, fulſit, ac reparauit; hæc peculiaria pietatis illius in eam præcipuè ſunt monumenta.

Illuſtriſſ. Card. Sfondratus ſuũ Titulũ inſtaurauit, & mirificè ornauit.

Ciborium antiquum Altaris maioris è marmore diuerſis Sanctorum figuris, quod annorum longinquitate ſitum, illuuiemque contraxerat, perpoliri, & in priſtinum candorem reſtitui, fulgentique pluribus locis auro illuminari curauit: In eius quidem culmine vas affabrè factum ex ære inauratum collocauit, ex quo aurei vndique flores emergunt; ſimiliterq; ad quaternos angulos eiuſdem Ciborij ſupra veteres paruulos obeliſcos vaſa cum floſculis totidem eadem celatura, & ſi paulò minora, conſtituit; Quatuor verò laterum faſtigia in medio viuificæ Crucis ſigno inter duas palmas erecto ex eodem inaurato metallo decorauit. Denique columnas, quibus ciborium innixum eſt, è lapide nigris, cãdidiſque venis interfuſo, diligenter leuigatas, atque ab omni ſorde vetuſtatis expurgatas illuſtrauit, baſibuſque aurum, & capitudis earum illeuit. His ornamentis auctum in ſublimi, & in conſpicuo poſitum Ciborium admirabilem intuentibus, & iucundam ſpeciem præbet.

Ciborium maioris aræ inſtauratur, & varijs ornamentis ditatur.

Exinde verò ſpatium illud ab Ara maiore ad circuitum abſydis, quod antiquitus Presbyterium vocabatur, clauſit, remotis anterioribus circa Aram gradibus, quibus eo prius è naui mediana patebat aſcenſus, muroque inibi ad planitiem pauimenti ſuperioris exæquato: cuius muri faciem peregrinorum lapidum è varijs coloribus in diuerſas formas ſectorum artificioſa, & nitida coagmentatione veſtiuit. Ad maiorem autem operis ornatũ terna vtráque ex Aræ parte in eiuſdem muri medio ſi-

Presbyterium remotis veteribus gradibus pretioſiſsimis lapidibus cla uditur.

gna inſeruit ex ære inaurata, à dextera quidem B. Cæciliæ, Sanctorumque Valeriani, & Tiburtij; à læua Sanctorum Vrbani, & Lucij Pontificum, Maximique Martyris. Supra murum, quam latè ad Aram pertinet, & à lateribus ordinem vtrinque ſtatuit columellarum, quas vulgò balauſtros appellant, quæ cùm ſculpturæ artificio, tum maculoſi fulgore lapidis ſpectabiles deſuper candidi marmoris periſtylio continentur; huic periſtylio malagranata ſexdecim eximiæ magnitudinis ærea, atque inaurata certis interuallis, & æqua proportione impoſita conſpiciuntur. Aditum porrò ad Presbyterium ex nauibus minoribus per circumeuntes gradus geminum aperuit, quorum pars exterior ferreis virgis compacto adminiculo munitur.

Confeſſio, ac monumétum B. Cæciliæ, & Sociorum mirum in modum à Cardinale Sfondrato ornatur.

Iam inter vtramque partem muri ſub ipſa Ara maiore, qui locus ante Confeſſionem à Veteribus nuncupabatur, vbi & feneſtella cum lampade olim fuerat, & reperta ſubter Sancta Corpora, ac repoſita nouiſſimè fuiſſe oſtendimus; B. Cæciliæ Virginis, ac Sociorum Martyrum ſepulchrum idem religioſiſſimus Cardinalis magnificentiſſimè exornauit. Murum enim Aræ directè ſubiacentem, conditiſque ſacris imminentem Corporibus, veteri quam diximus feneſtella ſublata, in auguſtam Tabernaculi ſpeciem conformauit, multiſque circum ornamentis pulcherrimis inſigniuit. Eſt in eius muri medio loculus in longitudine excauatus ad cubantis corporis menſuram, qui totus vndique nigro lapide circumueſtitur.

Statua S. Cæciliæ, & eius in monumento ſtatus explicatur.

Intra hunc loculum ſtatua B. Cæciliæ Virginis è Pario marmore candidiſſimo collocata uiſitur, ea omnino forma, qua ſacrum eius Corpus intra Arcam veterem compoſitum, inuentum eſt: Iacet enim tenuiſſima veſte ad talos fluente præcincta, humum dextero premens latere, vultu ad Confeſſionem obuerſo, ita vt aſtantium conſpectum refugiat; caput linteo circumuolutum, manus in anteriorem partem proiectæ, genuaque paululum

erecta

erecta cernuntur. Sub loculo deforis in lydio lapide, qui oram eius inferiorem attingit, eiusmodi inscriptio legitur aureis litteris incisa.

PAVLVS TT. S. CÆCILIÆ

EN TIBI SANCTISSIMÆ VIRGINIS CÆCILIÆ IMAGINEM,

QVAM IPSE INTEGRAM IN SEPVLCHRO IACENTEM VIDI,

EANDEM TIBI PRORSVS EODEM CORPORIS SITV

HOC MARMORE EXPRESSI.

Reliqua denique exterior facies huius Tabernaculi tota selectorum lapidum discolori incrustatione magis, magisque explendescit, in quibus plerique qualitate, & pretio proximè ad gemmas accedunt, vt onychinus, & qui vulgò lapis lazuli dicitur cærulei coloris, quorum non exigua inibi segmenta mireris. Quin & inter pretiosos hos lapides Angelorum, & Seraphinorum complures effigies ex ære inaurato aptissimè collocatæ prefulgent; præcipuè verò ad loculi superiores angulos nigri marmoris artificiosè facto, diremptoque peristylio duo ex ære inaurata simulachra non modicæ magnitudinis insident Angelorum, quorum manus supra Tabernaculum protensæ coronam ex eodem metallo illito auro, elucentem in medio extollunt; ijdem verò manu altera palmæ ramum ex ære pariter inaurato preferunt glorioſa Martyris victoriæ insignia. Eminent demum ad extrema vtrinque latera totius huius ornamenti vasa duo ex eodem ære inaurato flosculos ex se se circumquaque aurei nitoris emittentia. Atque hæc muri in Tabernaculi formam elaborati sunt ornamenta; Iam muro ipsi proximè adiacens pauimentum Ecclesię ad pedes circiter in quadrum vigintiquinque, columellis earum, quas supra diximus, similibus secluſum, ac septum est; ijs peristyliū incum-

Lapides pretiosissimi ad ornatum sepulchri S. Cæciliæ positi.

incumbit è candido marmore, cuius periſtylij angulis quatuor malagranata totidem infixa ſunt ex ære inaurata, cuiuſmodi & ſupra retulimus. Intra hoc ſeptum quæ incluſa eſt areola, ſtrata eſt tota opere vermiculato ex alabaſtro, alijſque perlucidis, pretioſiſque lapidibus multiplicium colorum, qui ita aptè conſerti, coagmentatique ſunt, vt elegantiſſimæ picturæ ſpeciem æmulari videantur; circa columellas in nigro lapide aureis notis eiuſmodi inſcriptio in ipſa areola exculpta eſt.

Epitaphiũ à Cardinale Sfondrato poſitum in pauimẽto ſupra loculos Sanctorum.

SVB HOC ALTARI REQVIESCVNT CORPORA SS. MARTYRVM CÆCILIÆ VIRGINIS, VALERIANI, TIBVRTII, MAXIMI SOCIOR. LVCII ET VRBANI PP. EISDEM SANCTIS MARTYRIBVS CONSECRATO.

Idem inſuper Illuſtriſsimus Cardinalis Paulus Sfondratus medianæ nauis picturas antiquas veteris, ac noui teſtamenti, vnàque Sanctorum effigies, quarum ſenio decor exoleuerat, recentibus coloribus renouauit, ita tamẽ, vt ad venerandam antiquitatem conſeruandam, priſca forma non ſit obliterata. Ex vtraque parte eiuſdem nauis veteres feneſtras, quæ pridem obſtructę fuerant, in ſublimi aperuit, lumenque ſpecularibus admiſit, quo longè lętior, & clarior Templi iàm facies redditur. Huius quòque mediæ nauis ſpatium remotis veterum Ambonum, ſeu pulpitorum è marmore impedimentis, cum nulli iam vſui ſint, in ampliorem ſpeciem dilatauit, ita vt ſub vno aſpectu ingredientibus noua omnia ad Aram maiorem, & circa ſacrum tumulum ornamenta compareant.

Picturæ antiquæ medianæ nauis renouãtur.

Veteres Eccleſiæ ãbones, & pulpita remouentur.

Tectum Eccleſiæ, quod ruinam minabatur, fulſit, atque inſtaurauit, cogitabatque auratum laquear pulcherrimum extruere, niſi ab hoc eum conſilio Architecti dimouiſſent: Hi parietes Eccleſiæ ei oneri ſuſtinendo impares fore dixerunt; addito etiam laqueari Eccleſiam, quæ per ſe humilis ſit, humiliorem adhuc viſum iri, quã

Tectũ Eccleſiæ inſtauratur, picturis decoratur.

eius

eius dignitati, & proportioni conueniret: His de causis tecti trabes, totamque contignationem varijs coloribus in diuersas species ornatus integi, ac decorari mandauit. Columnas itẽ lapideas, quibus naues inter se dirimũtur, quòd vetustate corrosæ, ac labefactatę essent, ad viridicati marmoris similitudinẽ colorari, ac depingi curauit; basibus, atq; capitulis nouis è tyburtino marmore adiectis.

Columnæ marmoreæ instauran-tur, & colorantur.

Iam minorum nauium parietes varijs Sanctorum imaginibus exornauit; eorum præsertim, quorum corpora in Ecclesia reperit, aut erga quos peculiaris extat Sanctimonialium eius loci pietas; At ne angulum quidem vacuum decoræ picturæ ornamento reliquit. Ad earumdem nauium parietes complura extruxit sacella, atquè altaria, quæ columnis, marmoribusquè elegantissimis ex multicolore lapide decorantur: in singulis verò nobilium Artificum manu pictas erexit tabulas, partim Romæ, partim alibi elaboratas, quibus effigies, & gesta Sanctorum, quorum nomine sunt dedicata, repræsentantur; ea sunt hęc: Altare in capite nauis, quæ est ad dexteram Aræ maioris, consecratum est in honorem Principum Apostolorum Petri, & Pauli. Alterum, quod ex eadem parte proximè sequitur, in honorem Sanctæ Agathæ Virginis, & Martyris. Tertium est B. Mariæ Magdalenæ. Quartum B. Stephani Protomartyris. In aduersa naui ad sinistram Arę maioris Altare, quod est in capite, dedicatum est ad honorem Deiparæ Virginis Mariæ. Alterum B. Laurentij Martyris. Tertium Sancti Andreæ Apostoli: Ad latus autem cuiusquè Altaris infixũ parieti est ligneum candelabrum deauratum, quibus immissæ faces inter sacra solemnia ardeant.

Naues minores, & Ecclesia tota picturis ornatur.

Sacella, & Altaria extructa, & quibus Sãctis dedicata numerãtur.

Eiusdem optimi Cardinalis in Sanctam Virginem Cæciliam, Socioisquè Martyres pietas tria ingentia candelabra lignea mirifici operis, & auro vndique perfusa fieri curauit, quæ vulgò lampadaria nominantur. Hęc è sublimi tecto ante B. Cæcilię, Sociorumque commune

Candelabra, & lampades argẽteæ à Cardinale Sfõdrato constitutæ.

ne ſepulchrum pendent, nouem ſingula argenteis lampadibus pulcherrimis circumquaquè lucentia, quarum quælibet è ligno deaurato expreſſi manu Angeli ſuſtinetur. Tum verò ante quodlibet ſupradictorum Altarium ſimiliter ex argento lampadem appendit; ſunt itaque hactenus argéteæ in hac Eccleſia lampades XXXV. quæ diu, noctuque ardent aſſiduè, cui curæ proprius Miniſter reditu attributo eſt deputatus.

Lampades argenteæ xxxv. à Card Sfondrato ſuo titulo oblatæ.

Oratorium præterea B. Cæciliæ Virginis, ac Martyris, quod ad dexteram ſe ſe Eccleſiam introeuntibus offert, mirum in modum ornauit; Aditum enim, ſeu veſtibulum eius vtrinque picturis egregijs excoluit, quibus vtriuſque ſexus inſignes Eremicolæ cum ſuis ſolitudinibus exprimuntur, varietate Regionum, viriditate nemorum, ſpeluncarum opacitate, labentium aquarum decurſu, proſpectum ſummæ voluptatis præbentibus. E regione verò denuò inſtaurati ſacelli tabulam pulcherrimam cum imaginibus S. Cæciliæ, & Valeriani, quibus ab Angelo duæ ex hybernis roſis, & lilijs coronæ de cęlo afferuntur, collocauit. Id Oratorium dum inſtauratur, detectum eſt Balneum, in quo, vt in ſuperioribus notis à nobis eſt indicatum, Sancta Virgo Cæcilia paſſa eſt. Sub ipſo namquè Oratorio Cella reperta eſt concamerato opere facta, in qua cineres inuenti ſunt; in ea enim ignis ad calefaciendum Balneum, ſeu Cubiculum ſuperius accendebatur, vt ex deſcriptione partium Balnei à nobis ſupra poſita melius intelligi poteſt. Apparent, vti detecti ſunt ex quadratis lateribus compacti circa ipſos vndique Cubiculi parietes tubuli, ſeu canales antiqui, per quos ex inferiori in ſuperiorem Cellam igneus calor tranſmeabat: Detectum eſt quòque vas æneum rotundum ad dexteram ingreſſus ipſius Oratorij paulò infra pauimentum, ſub eodemq; plumbeæ fiſtulæ, quę omnia haud dubiè vſui balneari deſeruiebant. Hoc igitur Oratoriũ omni iam pridem cultu nudatum in elegantiſſimi

Oratoriũ S. Cæciliæ à Cardinale Sfondrato inſtauratur, & mirificè decoratur.

Balneum S. Cæciliæ detegitur, & eius forma deſcribitur. Supra fol. 101. 102. 103. 104.

Vas æneũ detectũ in balneo S. Cæciliæ.

ſacelli

ſacelli formam Cardinalis ipſe redegit, quod quidem gypſo vndiquè deaurato, & picturis vitam B. Cæciliæ, ac Sociorum repræſentantibus exornauit; Ara in honorem eiuſdem Virginis erecta, ac dedicata. Ibidem circumcirca Balnei canales, quò magis ſpectabiles ſint, & illæſi ſeruentur, æreis laminis inauratis conueſtiuit. Supra vas autem illud æneum balneare, quod inuentum diximus, pauimenti locum apertum reliquit, ex quo illud conſpici poſſit, crate tamen ferrea obtectum. Nec minus ex aduerſa parte in eodem pauimento paruum alterum foramen inſtar feneſtræ aperuit, ex quo in ſubiectam fornacem, ſiue hypocauſtum obtutus demitti poteſt. Ad ingreſſum denique ſacelli ordinem columellarum non abſimilem earum, quas ſupra ad Altare maius Eccleſiæ deſcripſimus, fecit, quatuor eiuſdem materiæ, ac formæ malis granatis æreis, ac deauratis ſuper impoſitis.

Ornamẽta Oratorij S. Cæciliæ à Cardinale Sfõdrato facta deſcribuntur.

Longa autem oratione opus eſſet, ſi ſigillatim referre vellemus, quos ad vſum Sacrorum Eccleſiæ quotidianũ, quantique pretij paratus, quæ vaſa, & miniſteria, quæque omnis generis dona pulcherrima idem Illuſtriſſimus Cardinalis ſuo huic Titulo nobiliſſimo ſit elargitus. Cõſtituit enim ad illi miniſtrandum quatuor Sacerdotes, ſeu vt vocant Capellanos integræ, religioſæque vitæ, quibus binos adiunxit Clericos, victu omnibus, & conuenienti reditu aſſignato.

Capellani, & Clerici à Cardinale Sfondrato pro miniſterio ſui Tituli deputati.

Sacras quòque Reliquias complures eidem ſuo Titulo intulit, quas maximo ſtudio, atque pietate ex varijs locis ſanctis obtinere curauit, eaſquè argenteis vaſibus auro exornatis incluſit, eiuſmodi autem opere artificioſè elaboratis, vt vix ſpecioſius quidquam cerni poſſit: Reliquiæ igitur huius Sacroſanctę Eccleſiæ, quarum pars maxima ab ipſo Cardinale donata eſt, ſunt infraſcripta. De ligno Sanctiſſimæ Crucis Domini Noſtri Ieſu Chri-

Reliquiæ quam plures argenteis vaſibꝰ incluſæ à Cardinale Sfondrato ſuo Titulo donantur.

ſti Cruces duæ, quarum vna maior eſt altera, cum alijs eiuſdem Sacroſancti ligni particulis.

Reliquiarum nomina.

De veſte inconſutili eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti.
Spinæ duæ coronæ Saluatoris.
Pars de veſtimento eiuſdem Redemptoris noſtri.
De velo Beatiſſimæ Virginis Deiparæ Mariæ.
De lacte ipſius.
De ſubucula eiuſdem.
De oſſibus S. Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini.
Duo dentes, & de oſſibus B. Petri Apoſt. Principis.
Dens vnus, & de oſsibus S. Pauli Apoſtoli.
Particula tibiæ S. Andreæ Apoſtoli.
De mento S. Iacobi maioris Apoſtoli.
De veſtimentis S. Ioannis Euangeliſtę.
Digitus maior pedis S. Thomæ Apoſtoli.
Digitus alius eiuſdem.
De capite,& alijs oſſibus eiuſdem.
De oſsibus S. Iacobi minoris Apoſtoli.
De brachio S. Philippi Apoſtoli.
De oſsibus S.Bartholomæi Apoſtoli.
De oſsibus S. Matthęi Apoſtoli.
De oſſibus S. Thadei Apoſtoli.
De oſſibus S. Barnabæ Apoſtoli.
De brachio S. Lucæ Euangeliſtę.
Digitus maior pedis vnius ex Innocentibus.
De oſſibus S. Stephani Protomartyris.
Os magnum ambuſtum S. Laurentij Martyris.
Os vnum S. Fabiani Papæ.
Dens vnus, & de oſſibus S. Sebaſtiani Martyris.
De brachio S. Coſmæ Martyris.
De brachio S. Damiani Martyris.
De oſsibus S. Clementis Papæ.
Dens vnus, & de capite S. Ignatij Epiſcopi, & Marty.
De oſsibus S. Xyſti Papæ.

De

De oſsibus S. Calliſti Papæ.
De oſsibus S. Blaſij Epiſcopi.
De oſsibus S. Euſtachij Martyris.
De oſsibus S. Cypriani Martyris.
De oſsibus SS. Lucij, & Vrbani Pontificum, & Martyrum; nec non SS. Valeriani, Tiburtij, & Maximi Martyrũ, quorum integra corpora in eadẽ requieſcunt Eccleſia.
De oſsibus S. Pancratij Martyris.
De oſsibus S. Abundij Diaconi Martyris.
De oſsibus S. Alexandri Papę, & Martyris.
De oſsibus S. Chriſtophori Martyris.
Os vnum magnum S. Stephani Papę, & Martyris.
De vexillo S. Georgij Martyris.
De oſsibus S. Pantaleonis Martyris.
De oſsibus S. Adriani Martyris.
De oſsibus S. Placidi Martyris.
De oſsibus SS. Laurentini, & Pergentini Martyrum.
De oſsibus S. Getulij Martyris.
De oſsibus S. Bonifatij Martyris.
De oſsibus S. Donati Epiſcopi, & Martyris.
De oſsibus SS. Proti, & Iacinti Martyrum.
De oſsibus S. Nemeſij Martyris.
De veſtimento, & cuſpis baculi S. Ioſephi.
De brachio, & oſſibus S. Silueſtri Papæ.
De brachio dextero S. Gregorij Papæ.
De brachio S. Io. Chryſoſtomi.
De oſsibus S. Martini Epiſcopi.
De oſsibus S. Benedicti Abbatis.
Dens vnus S. Dominici Confeſſoris.
De capillis, & ſanguine ſtigmatis lateris, & de veſte S. Franciſci Confeſſoris.
Particula tibiæ S. Hieronymi Presbyteri.
De oſſibus S. Nicolai Barenſis.
De capite S. Sabbæ Abbatis.

De oſſibus S. Gregorij Nyſſeni.
Dens vnus, & de oſſibus S. Alexij Confeſſoris.
De veſtimento S. Franciſci de Paula.
Sandalia, & pileolus S. Bernardini Senenſis.
De capillis S. Galgani.
De oſſibus S. Richardi Angliæ Regis.
De oſſibus S. Alberti.
De oſſibus S. Sabini.
De oſsibus S. Gullielmi.
De oſſibus S. Ioannis Terreſtri.
De oſſibus S. Nicodemide Mammola.
De oſſibus S. Nicolai Tolentinatis.
De oſſibus S. Bernardi Abbatis.
De oſſibus S. Gaudentij Epiſcopi.
Pauxillum cranij S. Cæciliæ Virginis eius ſanguine tincti ex ea parte, in qua percuſſa eſt à Carnifice.
De linteis eiuſdē ſanguine conſperſis, ac de aurea veſte.

Capita ss. Valeriani Tiburtij, & Maximi argento cō ueſtita foris in Eccleſia aſſeruantur.

Caput S. Valeriani Sponſi S. Cæciliæ Virginis, quod in vltima hac inuentione à corpore auulſum in proprio argenteo capite incluſum eſt.
Caput S. Tiburtij Fratris eiuſdem S. Valeriani, quod prius ſegregatum inter Reliquias Eccleſię colebatur.
Caput S. Maximi Martyris, quod nuper item à ſuo corpore abſtractum, & argento conueſtitum eſt, in quo tota cæſaries cruore reſperſa vſquè hodie videtur.
De brachio S. Agnetis Virginis, & Martyris.
Digitus maior pedis S. Mariæ Magdalenæ.
De oſſibus S. Marthæ.
De oſſibus S. Paulinæ Virginis & Martyris.
Dens vnus S. Apolloniæ Virginis, & Martyris.
De oſſibus S. Agathæ Virginis, & Martyris.
De capite S. Chriſtinæ Virginis, & Martyris.
De oſſibus S. Luciæ Virginis, & Martyris.
De oſſibus S. Catharinæ Virginis, & Martyris.

De brachio S. Lucinę.
De brachio S. Praxedis.
De capillis S. Clarę.
De capite S. Margaretæ.
De ossibus S. Simphorosæ.
Quatuor ossa laterum S. Iulianæ Virginis, & Martyris.
De ossibus S. Verinæ.
De ossibus S. Mariæ Aegyptiacæ.
De vno latere, & de digito anulari, in quo desponsata fuit B. Catharina Senensis à Domino Nostro Iesu Christo.
De eiusdem cilicio, disciplina, & catena ferrea.
De Reliquijs S. Felicitatis, ac septem Filiorum.
De capite S. Antonij Abbatis.

Multæ aliæ quòquè pretiosissimæ Reliquię Sanctorum in proprijs vasis conseruantur, atque intra Altaria, quarũ nomina etiamsi in locis, in quibus extant, descripta habeantur, hic tamen quòd simul plura permixta sint silentio prætereuntur. Vnum tamen non omittam, quòd cum in Ecclesia B. Petri de Clauate propè lacum Larium ditionis Mediolanensis sita, à Desiderio Langobardorũ Rege ob filium ab oculorum cœcitate, in quam Deum blasphemans diuina vltione inciderat, eiusdem Apostoli intercessione liberatum, ante octingentos annos ex voto ædificata; septem anuli catenarum, & claues carceris, quibus ipse Apostolus Romæ astrictus est, asseruarentur. (fuerant enim illa ab Adriano Primo Pontifice eidem Desiderio Regi dono transmissa) Ipse Cardinalis Sfondratus, cui dicta Ecclesia est commendata, summi Pontificis auctoritate Romam sacra hæc pignora deferri curauit; & huic Titulo suo, in quo præcipuam (vt diximus) aram in honorem eiusdem Apostolorum Principis erexit, dictis catenis oblatis claues ad præfatam, à qua illas acceperat, Ecclesiam remisit; ne Populus ille singula-

Ecclesia B. Petri de Clauate propè lacũ larium.

Septem anuli catenarum, & claues carcerum S. Petri Romam iussu Cardinalis Sfondrati delatæ, & earum virtus.

Catenæ S. Petri dono oblatæ à Cardinali Sfondrato suo Titulo.

ris

ris beneficij, quod ex ijs Reliquijs quotidie accipiebat, expers omnino redderetur: Etenim à rabidorum Canum morſibus icti ad ſolum earum contactum priſtinam illico recuperant ſanitatem. Nec ceſſat idem Cardinalis alias atque alias in dies ex varijs partibus ſacras Reliquias inquirere, quibus Sponſam hanc ſuam magis magiſque locupletet, atque exornet.

Cardinalis Sfondratus apud Sacræ Virginis Cæciliæ locum ſuam elegit ſepulturam.

Denique incredibilem deuotionem, religionemque ſuam erga glorioſam Chriſti Martyrem, Virginemquè Cæciliam Illuſtriſsimus Cardinalis Sfondratus vel eo maximè perſpicuè oſtendit, quòd iuxta eiuſdem venerabile monumentum ad pedes illius locum ſuæ ſepulturæ delegit, vbi in porphyretico marmore, quo ſe contegi poſt mortem ſtatuit, maximum ſuæ humilitatis argumentum eiuſmodi epitaphium viuens incidit.

Epitaphiũ inciſum ſuper ſepulchro Cardinalis Sfõdrati.

PAVLVS TT. S. CÆCILIÆ
S. R. E. PRESB. CAR. SFONDRATVS
MISERRIMVS PECCATOR ATQ.
EIVSDEM VIRGINIS HVMILIS
SERVVS HIC AD EIVS PEDES
HVMILITER REQVIESCIT
VIXIT ANNOS... MENSES...
DIES... OBIIT ANNO..
MENSE.. DIE.. ORATE
DEVM PRO EO.

Factum igitur ſingulari Dei optimi maximi prouidentia, vt nobiliſſimæ Martyris Cæciliæ, Sociorumque

què Sanctorum corpora nouiſſimis his temporibus, ac tam pio Cardinale huius Eccleſiæ Titulum obtinente, in lucem iterum euocarentur; quò hac occaſione fortiſſimis fidei ſuæ Athletis eorum tumulo, ac templo magnificentias exornatis amplior honor accreſceret. Quod quidèm ita euenit feliciter, vt cum eis, quæ recenſuimus, tot, tantiſque ornamentis ſemeſtris ſpatij celeritas finem attuliſſet; vt primùm anno voluente dies B. Cæciliæ feſtus, atque ſolemnis redijt, maximum Tranſtyberim ad eius Sacratiſſimam Aedem recentibus ornamentis illuſtratam Populorum concurſum præter morem fieri viderimus. Cuius quidem feſti primo ferè diluculo eodem Sanctiſſimus Pontifex Clemens VIII. magno deuotionis affectu maturare contendit, primuſque ſupra renouati ſepulchri memoriam, atque Altare cæleſtem offerens Hoſtiam diuinum Numen pro ſibi commiſſi Gregis ſalute per illic conditorum Sanctorum merita ſuppliciter exorauit: Solo deinde ipſo memorabili exemplo humilitatis piè exoſculato ſacerdotales veſtes, quibus indutus rem diuinam fecerat, eidem Eccleſiæ liberaliter eſt elargitus. Senatus quòque, Populique Romani Magiſtratus ad eandem Eccleſiam accedentes aureum Calicem Altari religiosè obtulerunt; Idemq; donum quotannis in natali eiuſdem Virginis offerri ob amorem glorioſæ Conciuis ſuæ, quæ ſe Vrbi Romæ nouiſſimè oſtendere dignata eſt, publico decreto ſancitum. Nec aſſiduè deſinit Populi multitudo magis, magiſque confluere. Ipſeque in primis parens Tituli, Inſtauratorque Sfondratus Cardinalis vix diem vllam intermittit, quo à ſe dilectam non inuiſat Eccleſiam, genuque ante ſacram accidens Confeſsionem pias illic, atque ardentes preces effundat. Sperandum certè cùm ipſius Deo gratiſſimæ Virginis Cæciliæ,

Clemens VIII. primus ſuper renouatũ Martyris ſepulchrũ ſacrum celebrat.

Pontifex veſtes ſuas ſacerdotales Eccleſiæ obtulit.

S. P. Q. aureum calicem Eccleſiæ offert, idque quot annis faciendum ſtatuit.

Cardinalis Sfondrati ad tumulum S. Cæciliæ aſſiduæ preces.

ciliæ, tum Sociorum, qui ſub eadem Ara quieſcunt Sanctorum Martyrum, atque Pontificum frequentius implorata præſidia plurimùm Eccleſiæ Chriſtianæ profutura, eorundemque patrocinium vrbi Romæ in primis, quæ illos à ſtirpe terris genuit, ſanguine cœlo peperit, Sacrorum oſſium complexu fouet, atque cuſtodit, præſens in perpetuum futurum, ac ſalutare.

Amen.

*F I N I S.*

# INDEX
# LOCVPLETISSIMVS
# RERVM OMNIVM
# QVAE IN HOC LIBRO
# CONTINENTVR.


A

Abrenunciationis formula antiquitus in baptiſmate obſeruari ſolita. Car. 68
S. Adhelmus Occidẽtalium Saxonum Epiſcopus B. Caciliã ſolenni elogio celebrat. 50. & 72
S. Adhelmus Occidentalium Saxonum Epiſcopus quo tempore floruerit, & eius liber de ſacra virginitate. 72
Adiutores Commentarienſium, & eorum officium. 118
Alexander Imperator clemens, & pius erga Chriſtianos, & quare ſub eo Martyres multi paſſi fuerint. 27. & 110
Almachius Vrbi Prafectus iubebat in humata Martyrum corpora derelinqui. 14
Almachius Prafectus alloquitur SS. Tiburtium, & Valerianum. 14
Almachius Prafectus iubet S. Valerianum fuſtibus cadi. 18
Almachius Prafectus iubet S. Maximum Cornicularium tandiu plumbatis cadi quandiu ſpiritum exalaret. 21
Almachius Prafectus querit facultates SS. Martyrum Valeriani, & Tiburtij. 21
Almachius iubet inquiri S. Caciliam & arctari. 21
Almachius Prafectus iubet S. Caciliam in propriam domum reduci, & in ardenti balneo claudi. 25
Almachius Prafectus tyrannidem in Chriſtianos exercebat. 27
Almachius Prafectus morabatur in palatio Veſpaſiani. 28. & 33
Almachij verba ad S. Vrbanũ Papam. 28
Almachius petit à S. Vrbano Papa theſauros S. Cacilia. 29. & 31
Almachius Prafectus vnà cum Sãctis pergit ad Pagum. 32
Almachij familia Turcia pluribus Prafecturis, & dignitatibus inſignis. 80. 81
Fr. Alphonſus Ciaconus Ordinis Pradicatorum vir inſignis. 60
ſub Altaribus collocandi corpora Sanctorum conſuetudo vnde fluxerit. 149
Altaria extructa à Cardinale Sfondrato in ſuo Titulo. 175
S. Ammonius, Fauianus, & Calliſtus Tribuni, & Fortunatus, ac Iuſtinus Presbyteri viſitant in carcere B. Vrbanum & Socios. 30
S. Ammonius, Fauianus, & Calliſtus Tribuni ſepeliunt corpora SS. Vrbani, & Sociorũ in Cœmeterio Pratextati. 34, & 39
S. Ambroſii auctoritas de coronis oblatis S Cacilia, & Valeriano. 73
Angelus virginitatis S. Cacilia cuſtos. 4
Angelus donat duas coronas ex roſis, & lilijs S. Cacilia, & Valeriano. 5
Anima SS. Valeriani, & Tiburtij videntur a Maximo Cornicularia in calum ab Angelis efferri. 20
Anolinus carcerarius ad fidem conuertitur & baptizatur. 30
Anolinus carcerarius, ſeu Cõmẽtarienſis ducitur ad Tẽplũ Diana & ibi decollatur. 31
Antiquitas hiſtoria paſſionis S. Cacilia ex quibus probetur. 49 73. 77
Aphricani, & Maximini conſulatus 128
Apollinis oraculum obmutuit ſolo conſpectu ſacra-

*sacrarũ reliquiarũ S. Martyris Babyla.* 54
*Apostolorum miracula.* 13
*Apostolorum Petri, & Pauli corpora olim iacuerunt via Appia.* 62
*Apparitores, qui nam dicerentur.* 95
*Apparitores capiunt S. Tiburtium, & Valerianum, & illos præsentant Almachio.* 14
*Apparitores conuertuntur ad Christi fidem à S. Cæcilia.* 22
*Appia via pauperes petentes stipem.* 5
*Appia via appellata ab Appio Cæco, qui illã lapidibus strauit.* 61
*Appia via amplissima, & nobilissima, & multis templis, ac rebus singularibus celeberrima.* 61
*Appia via Martyrum cruore irrigata, & sacris Cœmeterijs plena.* 62
*Appia viæ laudes.* 61.62
*Aqua Mercurij via Appia.* 61
*Archidiaconi officium.* 130.131
*Archidiacono commendandi Ecclesiæ facultates consuetudo.* 130
*Assessor Præfecti Tarquinius.* 19
*Assessores Præfecti qui nam dicerentur, & eorum officium.* 87
*Astulphus Langobardorum Rex quis, & eius vitæ epitome.* 136
*Astulphus Langobardorũ Rex cœmeteria subuertit, & corpora Sanctorũ effodit.* 13
*Astulphum Langobardorum Regem corpus S. Cæciliæ sustulisse fama erat.* 43
*Auditores, siue audientes, qui nam appellentur à S. Cypriano.* 78
*Augustus columnam milliariam in foro collocauit.* 60

B

S. *Babylæ Martyris reliquiæ faciunt obmutescere Apollinis oraculum.* 54
*Balneæ priuatæ apud antiquos.* 101
*Balneum priuatum in propria domo qui nã primus fecerit.* 101
*Balneum Ciceronis.* 101
*Balneî cellæ frigidaria, caldaria, seu tepidaria, & calidaria.* 102
*Balneæ à subiecti ignis quantitate modo calidæ, & quandoque calidissimæ fiebant.* 103
*Balneæ feruentia pœna genus quale, & qui [illegible] sint multati.* 103
*Balneum ardens, in quo S. Cæcilia Præfecti iussu includitur.* 25
*Balnei locus, in quo passa fuit S. Cæcilia. car.* 102.& 103
*Balneum S. Cæciliæ in eius Ecclesia repertum, et eius forma describitur.* 148.& 176
*Balneum S. Cæciliæ ab Illustriss. Cardinale Paulo Sfondrato mirificè exornatur.* 176
*S. Barnabas Euangelici codicis attactu ægros sanabat.* 57
*S. Barnabæ corpus repertum [illegible] euangelico codice supra pectus.* 57
*Baptismi formula abrenunciationis.* 68.69
*Baptizandus quomodo interrogaretur antiquitus.* 69.& 70
*Baptizatos chrismate linire, ac eis viuificam communionem tradere post missarum solemnia vsus antiquissimus.* 116
*Baptizatorum alba vestimenta.* 5.et 6.
*Baptizati quãdo deponebant vestes albas* 78
*Baptizatorum albæ vestes quid significarent antiquitus.* 70.71.72
